DE RATIONE
QUAE AESCHINIS CTESIPHONTEAE CUM EIUS COMMENTARIIS INTERCEDIT

CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XX. M. MARTII A. MDCCCLXXXIII, HORA XII

IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS GUTTMANN

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT

BRUNO BAIER, CAND. PHIL. OTTO MILLER, CAND. PHIL.

FRIDERICUS SCHEUER, STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS S. SCHOTTLAENDERI.

FRIDERICO HANOW
GUILELMO ERLER

ZULLICHAVIENSIBUS

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM.

Ante hos prope tres annos auctore Georgio Kaibelio Rostochiensi vir. ill. ad Aeschinis et Demosthenis orationes Ctesiphonteas lectitandas aggressus sum, non tam certa spe ductus quaestiunculae alicuius inde hauriendi materiam, quam ut egregia haec Graecae artis oratoriae et memorabilis Philippicae aetatis monumenta penitus cognoscerem. Sed diutius in iis versatus Aeschineae orationis duplici quae vocatur recensioni animum attendi et omnia quae adhuc viri docti de ea eruerunt colligere examinare quantum possem supplere consilium cepi. Cuius operae fructus hic offero.

Fundamenta ut quaestioni iaciam, primum paucis comprensurus sum, quae litis Ctesiphonteae historia de Aeschinis oratione doceamur. — Aeschines cum exeunte Ol. CX, 4 mense fere Elapheboli one[1]) Ctesiphontem παρανομίας accusaret, quod primum mendacia in litteras publicas intulisset Demosthenem e re publica omnia et dixisse et fecisse scribens, deinde eundem muros reficiendos et administrandas pecunias scaenicas curantem ante redditas munerum rationes coronari iussisset, pronuntiationem denique coronae e contione in theatrum magnaque Dionysia transtulisset — horum, inquam, cum Ctesiphontem argueret duplici consilio Aeschines utebatur: et honorem inimicissimi hominis tollendi et de rei publicae gubernatione eum populique gratia in perpetuum, si fieri posset,

[1]) cf. A. Schaefer, „Demosthenes und seine Zeit“ v. III, pars 1, p. 77 adn. 2.

deiciendi. Atque prius quidem facile ei contingere videbatur. Paulo enim postquam thesmothetae nomen Ctesiphontis receperunt, acta sunt magna Dionysia eaque re coronatio Demosthenis in proximi anni sollemnia dilata est. Tantam autem dilationem, ut erat Atheniensium populus animo mobilissimo, plurimum valuisse patet. — Sed alterum aeque brevi Aeschines assecutus non est. Nam etsi conventu Corinthiaco Philippi in Graecia principatus constitutus erat, tamen Athenienses Macedonicum iugum patienter nondum ferebant. Immo eadem aetate Macedonum amicos se contemnere, eos, qui patriam libertatem a Philippo defenderant, fortuna destitutos tamen venerari pergere luculentis exemplis demonstraverunt, in quo numero ipsa Ctesiphontis rogatio a senatu probata inerat[1]). Quae cum ita se haberent, nihil fuit, cur Aeschines rem in iudicium vocare festinaret. Tamen dubitare non licet, quin primo causae animum semper intenderit. Philippo videlicet Graeciae imperante haud procul abesse Demosthenis potentiam evertendi opportunitatem confidebat. Quamobrem persuasum mihi est, orationem quoque, quam apud iudices haberet, iam tum ab Aeschine esse paratam. Argumentationem certe ut disponeret vel ipsa anacrisi coactus est. Sed intervenit Aeschinis consiliis desideriisque patroni Philippi caedes et, quae eam subsecuta est, Graecorum seditio. Ac ne Alexandri quidem victoria Athenis Macedonistae vulgi animos conciliaverunt. Hoc inde apparet, quod oratores Macedonibus adversarios victori dedere Athenienses recusarunt. Cum denique Alexandro in Asiam transgresso, Antipatro autem in longinquis Thraciae regionibus bellante, quamquam Demosthenes eiusque asseclae in contionibus silentium tenebant[2]), tamen ne tum quidem, qui Alexandro favebant, ita dominarentur, ut iudiciis petere illos auderent, spem causa vincendi Aeschinem, si non prorsus abiecisse, attamen remisisse certo putandum est. Neque orationi per sex annos eum continuam operam impendisse credes, sed fere constat, una cum spe illa etiam commentarium orationis ab

[1]) A. Schaefer l. c. III, 1, p. 67 sqq.
[2]) cf. Dem. XVIII, 320 extr.

eo repositum esse. Quem utrum perfectum an imperfectum scriniis tum incluserit incertissimum sane est. — At sex annis post instructam litem ea opportunitas, de qua iam prope desperaverat, orta est. Aestate enim Ol. CXII, 3 Lacedaemonii duce Agide rege seditiosi ab Antipatro apud Megalopolim devicti sunt. Hac autem clade etiam omnes, qui Macedonum imperium oderant, graviter affligebantur, cum in Lacedaemoniorum tumultu magnas spes posuissent atque eum, quantum in iis erat, etiam adiuvissent [1]. Quin apud Amphictyones eodem anno Athenienses accusati esse videntur quod ab Agidis partibus stetissent [2]. Quid mirum, quod iis rebus Macedonum ministris et satellitibus animi additi sunt? Quo factum est, ut cum in aliis oppidis vindicibus Graecae libertatis lites intenderentur [3] tum Aeschines suam messem tandem maturuisse ratus intermissam litem iam ad heliastas deferret [4]. — Neque vero hunc ad finem facere potuit, quin eum commentarium, quem anno a. Chr. n. 336 et sequentibus exaraverat, sive perfectus sive imperfectus erat, aliquo modo retractaret. Nimirum nequaquam tum eadem dicere licuit, quae sex annis ante, sed vetus commentarius ad praesentes res accommodandus et supplendus erat. — Quae cum ita essent, vel ea oratio, quam Aeschines apud iudices habuit e duplici opera nata erat. — Orata denique causa cum inferior discessisset, inter omnes constat, ultro Aeschinem Ephesi Rhodi Sami exulavisse. — Huius vero otii partem oratione iterum subigenda eum consumpsisse per se veri simillimum est. An turpiter devictum oratorem aut reverentia quadam aut veritate ductum orationem ut sincerum cladis monumentum immutatam edidisse censes? Atque amplissimam mutandi materiam ipsa Demosthenis oratio ei suppeditavit. Ad quam suis argumentis confirmatis, Demosthenis

---

1) Schaefer l. c. III, 1, p. 193 sq.

2) Aesch. III. 254; Demosth. XVIII, 324.

3) Dem. XVIII, 197 extr.

4) cf. ea quae Weilius in libro „plaid. polit. de Démosthène“ I p. 390 sq. et Baerwinkelius in dissertatione „de lite Ctesiphontea“ (Lipsiae 1878) de redintegrata lite exposuerunt, quibus in universum astipulor.

refutatis, propulsatis criminibus eius nonnulla respondere cur omitteret?[1])

Quae cum ita sint, priusquam orationem ipsam inspexeris, tres quasi gradus Aeschinem in componenda Ctesiphontea ascendisse confidenter statues, quorum primus commentario paulo post accusationem exarato alter habita apud iudices oratione, tertius ultimis Aeschinis curis in augenda ea et perpolienda positis efficitur. — Harum igitur trium recensionum, ut brevi vocabulo utar, vestigia in Ctesiphontea oratione, quae aetatem tulit, detegere eiusque partes, quatenus fieri potest, in illas digerere, huius quaestionis est.

Tota igitur oratio exemptis prooemio (§§ 1—8) et epilogo (§§ 230—260) commodissime et rectissime in duas partes dividitur, legum expositionem dico §§ 9—48 et enarrationem rerum a Demosthene gestarum §§ 49—176 contentam, cui nonnulla (§§ 177—229) adiuncta sunt, quae in aliis rebus ad causam pertinentibus versantur.[2]) Ordo autem harum partium in libello Ol. CX, 4 thesmothetis tradito ei qui nunc est, contrarius fuit. Quem in oratione ideo Aeschines invertit, ut adversarii quoque dispositionem turbaret.[3]) Sed hic in libelli ordine perseveravit.[4]) — Hoc artificium utrum Aeschines a principio an instante demum iudicio adhibuerit parum liquet.

---

[1]) Multo minus Demostheni erat, quod orationem in iudicio oratam magnopere mutaret. Nam multorum milium Graecorum maximum ea plausum tulerat. Itaque antequam ederetur limam ei adhibere suffecit.

[2]) Perperam Spengelius in commentt. acad. Bav. class. I, v. X, p. 32 inde a § 168, Roemheldtius in dissert. „quaestiones de Aesch. orat. c. Ctesiph.“ (Marb. 1869) et Blassius in libro „Die Attische Beredsamkeit“ III, part. II, p. 190 inde a § 177 epilogum orationis initium capere statuunt. Nam § 204 extr. ipse orator etiamnunc de publicis Demosthenis rebus se dicere profitetur. Saepe sane ἔξωθεν τοῦ λόγου vagatur; tamen usque ad finem orationis verum propositum nusquam plane reliquit.

[3]) cf. Schaefer l. c. III, 1, p. 230.

[4]) cf. Dem. XVIII, § 56 sqq.

Caput primum.

De or. Ctes. §§ 1—31.

Prior igitur Ctesiphonteae orationis pars in duo capita divisa est, quorum priore, §§ 9—31, de rationibus Demostheni reddendis, posteriore, §§ 32—48, de pronuntianda corona disseritur. Illud autem rursus in sex locos partitum est: ac primo quidem, §§ 9—12, ipsa lex περὶ τῶν ὑπευθύνων explanatur, altero, §§ 13—16, adversariorum de τειχοποιίας natura defensio occupatur, tertio, §§ 17—23, Demosthenis ἄφυκτος λόγος redarguitur, quarto, §§ 24—27, temporum rationes, quae ad Demosthenis munera pertinent, computantur, quinto, §§ 28—30, alterius loci argumentum repetitur, sexto, § 31, totum caput concluditur et comprenditur.

Itaque primo obtutu hoc tam parvulum orationis segmentum — viginti tribus tantum §§ efficitur — satis artificiosum et varium esse intellegis. Diligentius vero id perscrutati mira et ad nostram quaestionem gravissima compositione uti videbimus. Quin cardo huius commentationis in eo vertitur, propterea quod solum in hac orationis particula omnium recensionum vestigia clare perspiciuntur, cum alterum de παρανομίᾳ caput totum primi commentarii fuisse videatur, in maiore autem orationis parte, qua res a Demosthene gestae iudicantur, ea, quae in iudicio orator dixit, ab iis, quae postea orationi adiecit, secrevisse satis habendum sit.

De indole § 31.

Tamquam in officina oratorem deprendendi facultas datur sexto argumentationis de ὑπευθύνοις loco, § 31. Ibi enim Aeschines, quae antea pluribus exposuerat, summatim se repetiturum esse pollicetur; nam ἀναμνήσθητε δή, inquit, τοὺς προειρημένους λόγους." [1]) Sed partim tantum promisso stat. His enim verbis ὅτι ὁ μὲν νομοθέτης τοὺς ἐκ τῶν φυλῶν ἄρχειν κελεύει δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἡ δὲ Πανδιονὶς φυλὴ ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε Δημοσθένην perspicuum est alterum (§§ 13—16) et quintum locum (§§ 28—30) contineri, quoniam utroque loco orator magistratum legitimum Demosthenem fuisse comprobat. Deinde verba, quae sequuntur, ἕτερος δ' ἀπαγορεύει νόμος ἀρχὴν ὑπεύθυνον μὴ στεφανοῦν — ὁ δὲ ῥήτωρ γέγραφε τὸν ὑπεύθυνον στεφανοῦν οὐ προςθεὶς „ἐπειδὰν δῷ λόγον καὶ εὐθύνας" haec ad primum locum (§§ 9—12) spectant, quo ipsa lex περὶ τῶν ὑπευθύνων explanatur. Extremis denique verbis ἐγὼ δὲ ἐξελέγχω τὸ παράνομον μάρτυρας ἅμα τούς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα καὶ τοὺς ἀντιδίκους παρεχόμενος in universum argumentandi ratio revocatur. — Sed duo loci iique gravissimi in hac comprensione omnino praetermittuntur, tertius et quartus (§§ 17—27). Neque enim aut de largitione Demosthenis aut de temporibus quae ad rem pertinent, ulla mentio iniecta est. — Immo tantum Aeschines se demonstravisse dicit, muros reficiendos curantem Demosthenem publico munere functum idesque rationibus reddendis obnoxium fuisse, magistratus autem rationibus obnoxii lege caveri ne coronarentur, hanc denique legem a Ctesiphonte migratam esse. At plena oratoris argumentatio haec est: 1) Ante redditas munerum rationes rogans, ut Demosthenes aurea corona donaretur ac ne illud quidem addens „cum rationes reddiderit, coronetur" Ctesiphon legem περὶ τῶν ὑπευθύνων violavit (§§ 9—12). 2) Frustra excusabit Demosthenes, quod qui moenibus reficiendis praesint, non legitimum munus sed curationem ex ordine mandatam gerant itaque ὑπεύθυνον se non

[1]) Aeschinis verba Frankii editionem (Lips. 1851), Demosthenis Bekkeri (Lips. 1854), scholia Aeschinea Schultzii (Lips. 1865) secutus cito.

fuisse simulabit (§§ 13—16 et 28—30). 3) Etiam ἄφυκτος eius λόγος: non propter munus illud, sed propter largitionem se a Ctesiphonte laudari, largitionum autem non esse rationes, facillime diluitur (§§ 17—23). 4) Profecto denique, cum Ctesiphon rogationem illam ferret, etiamtum Demosthenem et reficiendis muris et pecuniis scaenicis administrandis praefectum fuisse, litteris publicis evincitur (§§ 24—27). — Ex hac Aeschineae argumentationis descriptione luculentissime apparet, § 31 mancam eius collectionem habere. Qui autem fieri potuit, ut duo tanta argumenta Aeschines omnino ibi neglegeret? Itane dormivisse eum existimas, ut eorum plane oblivisceretur? Minime. — Immo, si, cum § 31 scriberet, probatio iam quattuor illis locis constitisset, sine dubio quadripertitam eam haberemus. Contra bipertita ἀνακεφαλαίωσις, quae ad nostram aetatem pervenit, probationem quoque olim duos tantum locos continuisse declarat. Quid hac ratiocinatione simplicius? Unde sequitur, ut tertius et quartus locus (§§ 17—27) post primum alterum quintum sextum conscripti sint. Et confirmatur haec conclusio ipsorum eorum argumento, in quod iam accurate inquiramus necesse est.

De tertio loco (§§ 17—23).

Ac tertio quidem loco, §§ 17—23, ut ante dixi, Aeschines adversariorum quandam excusationem προκαταλήψεως figura usus praeoccupat. Legi enim de magistratibus rationibus obnoxiis Demosthenem oppositurum esse vaticinatur, quod pecuniis ad resarcienda moenia ex aerario acceptis centum minas ipse addiderit, largitionum vero rationes non exstent. — In Demosthenico autem ad Ctes. §§ 9—31 responso, orationis de corona §§ 111—119, re vera haec tam futtilis excusatio profertur vel potius solam hanc Demosthenes defendit totusque ea nititur. Itaque verum praesagivisse Aeschines videtur. At paene idem de eo vaticinio dixeris, quod Westermannus [1]) de aliis eiusmodi: „Deus fuerit, qui talia dicturum esse adversarium praesagiat“. Sed idem vir doctissimus omnia,

[1]) Quaestt. Demosth. III, p. 78 extr.

quae §§ 9—48 adversariis praeripit, fando oratorem audivisse arbitratur[1]).

Equidem neque in sermonibus neque in anacrisi tam quaesitum argumentum enuntiatum esse persuadere mihi possum, quippe quod certe ne ipse quidem Demosthenes iustum ac firmum existimaret[2]), sed cuius argutiis apud iudices, puto, Aeschinem oppressurus esset. Omnino videlicet cavendum est, ne multa alterum adversarium de alterius oratione fando audivisse opinemur. Ut enim probabile est. fuisse, qui praevaricarentur, ita quis dubitat, quin oratores id probe sciverint summaque cautione in edendis iis rebus, quas prolaturi erant, usi sint? — Sed etiamsi per indolem eius argumenti aut praesensisse id Aeschinem aut aliqua ratione ante iudicium comperisse liceret statuere, per Demosthenis responsum, quod videtur, non liceret. Nam or. de cor. §§ 111—119 ad Ctes. §§ 17—23 Demosthenes nihil respondet. Hoc qui negaverit unum vocabulum, quaeso, ostendat, quod ad Aeschineam de largitione expositionem sit referendum: nullum inveniet. Sed sic Demosthenes stolidam illam rationem in medium fert, ut occupationem eius ignorasse eum in propatulo sit. Quam si novisset, haec certe verba scribere non potuit; τίς γάρ ἐστι νόμος τοσαύτης ἀδικίας καὶ μισανθρωπίας μεστὸς, ὥστε τὸν δόντα τι τῶν ἰδίων καὶ ποιήσαντα πρᾶγμα φιλάνθρωπον καὶ φιλόδωρον. τῆς χάριτος μὲν ἀποστερεῖν. εἰς τοὺς συκοφάντας δ' ἄγειν καὶ τούτους ἐπὶ τὰς εὐθύνας ὧν ἔδωκεν ἐφιστάναι; οὐδὲ εἷς. εἰ δέ φησιν οὗτος, δειξάτω κἀγὼ στέρξω καὶ σιωπήσομαι (§ 114). — Undevicesima nimirum § ab Aeschine eiusmodi lex quaedam monstrata est. — At consulto Demosthenes accusatoris occupationem neglexit, quasi sua argumenti occupati explicatione ea satis redargueretur[3]). Hoc nescio an crederem nisi iis, quae antecedunt proxime, diserte

[1]) ibid. p. 76 sq.

[2]) De eius infirmitate viri docti uno ore conspirant, cf. Westermann de publ. Ath. hon. p. 50 sqq. et in ed. or. de cor. ad § 112, Hug. „Der Entscheidungsprocess etc. p. 9 extr., Baerwinkel l. c. p. 40 sqq. Weidner in utraque Ctes. edit. ad § 17, alios.

[3]) Haec L. Spengelii sententia videtur esse: cf. c. l. p. 58 sq.

in alteram Aeschinis προκατάληψιν respiceretur. Haec enim verba (§ 111) τοσούτῳ γὰρ δέω λέγειν, ὡς οὐκ εἰμὶ ὑπεύθυνος, ὃ νῦν οὗτος διέβαλλε καὶ διωρίζετο, ὥσθ' ἅπαντα τὸν βίον ὑπεύθυνος εἶναι ὁμολογῶ ὧν ἢ διακεχείρικα ἢ πεπολίτευμαι παρ' ὑμῖν ad Ctes. §§ 13—16 et 28—30 spectare certum est. Post haec vero cum ita pergeret: ὧν μέντοι γε ἐκ τῆς ἰδίας οὐσίας ἐπαγγειλάμενος δέδωκα τῷ δήμῳ, οὐδεμίαν ἡμέραν ὑπεύθυνος εἶναί φημι κτλ. nonne ilico iudices hoc quoque effugium ab Aeschine ei interclusum esse recordati aegerrime tulissent, quod neutiquam Demosthenes argumentum ab adversarii impetu vindicaret aut eum commemoraret quidem? [1]) Sed unum restat, quod meae sententiae opponatur: Kirchhoffius enim in actis acad. Berol. a. 1875 orationis de corona §§ 53—121 e commentario iam ante iudicium composito desumptas esse iisque ad Aeschinis γραφὴν, non ad orationem responderi demonstrare studuit. Sed, id quod ipse vir doctissimus concedit [2]), multa etiam ibi insunt ex oratione Aeschinis pendentia. Itaque post iudicium Demosthenes §§ 53—121 ex ea retractavit. Cum vero § 111, ut supra commemoravi, accusatori respondisset, num ea, quae proxime sequuntur, ad eius occupationem non accommodare potuit? [3]) Sed quod nullo vinculo or. de cor. §§ 112—119 cum Ctes. §§ 17—23 coniunctae sunt, has Demosthenem non audivisse cogitur. — Ergo neque e sermonibus neque ex anacrisi Aeschines ἄφυκτον λόγον Demosthenis furatus est, sed ex ipsa, eius oratione itaque tertius ille locus (§§ 17—23) vaticinium ex eventu quod vocatur, habet. — Quod cum ita sit, tertiae recensionis eum esse apparet.

---

1) Foxius sane, qui in libro „Analysis und Würdigung von Demosthenes Rede vom Kranze" (Lips. 1880). Demosthenes verba subtilissime percenset neque in hac re neque in occupatione Aeschinis haeret.

2) l. c. p. 60 extr. et 69 sqq.

3) Omnino de imperfecta, quam statuit, §§ 53—121 retractatione Kirchhoffius mihi persuadere non potuit. Cur tandem Aeschines §§ 111—121 iterum subigere inciperet, si in iudicio iuris quaestionem praeteriisset, quod vir doct. opinatur?

De quarto loco (§§ 24—27). Nec minus certum iudicium ferre licet de tempore quo quartus de rationibus reddendis locus, §§ 24—27, conceptus sit. — Publicis litteris ibi evincitur, cum Ctesiphon in senatu rogaret, ut Demosthenes coronaretur, eum et pecunias scaenicas etiamtum administrasse et muros muniendos curasse. Talia autem peculiari argumentatione confirmari tum demum opus fuisse patet, cum Demosthenes a muneribus iam dudum se abdicaverat. Sex annis autem post institutam litem profecto opus fuit[1]). Quamobrem hic locus sine dubio renovata causa paulo ante iudicium orationi insertus alterique eius recensioni ascribendus est. Hoc tam clarum esse mihi videtur ut nullo amplius testimonio egeat. In causa vero §§ 24—27 ab Aeschine adhibitas esse, etiam haec Demosthenis verba docent (§ 113): — οὗτος συκοφαντῶν, ὅτι ἐπὶ τῷ θεωρικῷ τότε ὢν ἐπέδωκα τὰ χρήματα, ἐπῄνεσεν αὐτόν φησιν ὑπεύθυνον ὄντα. — ἀλλὰ καὶ τειχοποιὸς ἦσθα.

Iam ad § 31 redeamus, in qua tertium et quartum locum argumentationis, quae antecedit, praetermissos esse supra declaraveram (pg. 10). Iam id, puto, non adeo miraberis, nam suspicio inde capta, cum Aeschines § 31 scriberet, nondum confectas fuisse §§ 17—23 et 24—27, sed solum §§ 9—12, 13—16, 28—30 nunc maiorem etiam probabilitatem nacta est. *Nimirum cum* §§ 17—23 *tertiae*, 24—27 *alteri recensioni tribuendae sint, in promptu est conicere, ceteros locos iam in primo commentario orationis infuisse. Quod iis, quae sequuntur, evincere conabor.*

De primo loco (§§ 9—12). Atque primus quidem locus, §§ 9—12, tamquam caput totius ratiocinationis est. Ipsa enim lex ibi illustratur, qua magistratus, priusquam munerum rationes ad logistas detulissent, coronari aut rogari ut coronarentur, vetitum erat. Narratur autem, quae eam rogandi fuerit causa ac necessitas, quid qui eam migraturi sint, fraudi praetexere soleant, quemadmodum Ctesiphon non solum legem, sed etiam praetextum illud contempserit. Has res iam in primo

[1]) cf. Fox. c. l. p. 312, Blass. c. l. III, 2, p. 185.

commentario tractatas fuisse constat, quandoquidem in ipsa accusatione significatae erant, id quod ex orat. de cor. § 58 patet ubi haec exstant: τὸ δὲ μὴ προςγράψαντα „ἐπειδὰν τὰς εὐθύνας δῷ“ στεφανοῦν κτλ. Nihil autem Aeschini erat, cur ea, quae sex annis ante de lege περὶ τῶν ὑπευθύνων disputaverat Ol. CXII, 3 retractaret. Nam, quod iure premit Baerwinkelius[1]), quamquam interea Demosthenes munerum rationes reddiderat neque quisquam eum apud logistas peculiatus arguerat, sed subductis calculis re vera eum centum minas ad muniendos muros de suo addidisse demonstratum erat, tamen illud constitit nec temporis diuturnitate detrectari potuit, quod tulerat Ctesiphon rogationem, anteaquam id factum esset. Neque audita Demosthenis defensione vetustus commentarius mutandus erat, propterea quod legem ipsam sibi oppositam labefactare ne temptaverat quidem. At captionem, qua eam impugnaverat, §§ 17—23, ut supra (pg. 11 sqq.) exposui, Aeschines refutavit. — Itaque nihil impedit, quominus §§ 9—12 primae oratoris operae fructum esse credamus. — Accedunt prima verba § 9 eorumque cum iis, quae antecedunt, conexus. Quicunque enim verba περὶ μὲν οὖν τῆς ὅλης κατηγορίας μετρίως μοι ἐλπίζω προειρῆσθαι· περὶ δὲ αὐτῶν τῶν νόμων, οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὑπευθύνων, παρ' οὓς τὸ ψήφισμα τοῦτο τυγχάνει γεγραφὼς Κτησιφῶν, διὰ βραχέων εἰπεῖν βούλομαι integro iudicio legerit, iis quae antecedunt, in universum de accusatione contra Ctesiphontem instituta dici certo arbitrabitur. Sed cum exordium percensuerit, hac exspectatione erit deceptus. Solis enim verbis (§ 8) ἐὰν ἐλέγξωμεν Κτησιφῶντα καὶ παράνομα γράψαντα καὶ ψευδῆ καὶ ἀσύμφορα τῇ πόλει Ctesiphontea causa tangitur; in ceteris autem praesentis rei nulla ratione habita in universum de actionibus παρανόμων disseritur. In hac re ego non primus offendor. Roemheldtius enim commentationis, quam citavi, tertio capiti hunc indicem imposuit „cur partitionem neglexisse Aeschines videatur quaeritur“. Et existimat vir doctus, consulto oratorem id fecisse, ut

De exordio (§§ 1—8).

---

[1]) l. c. p. 23 Halmio adversatus, qui in act. ac. Bav. a. 1875, vol. I, p. 2. sq. miro modo vim huius argumenti ut diminuat laborat.

inversam γραφῆς dispositionem obscuraret. Sed omissa partitione licet § 9 initio audito iudices mutatum rerum ordinem non senserint, quamquam praesertim ante accusatoris orationem huius et rei libelli recitati sunt, attamen in § 203 sq. dispositione disertissimis verbis proposita ipse artificium penitus diluit ac fraudem patefecit! Itaque Roemheldtii sententia ab omni probabilitate abhorret. At dixerit quispiam, iniuria partitionem in exordio desiderari; inesse scilicet eam in iis verbis, quae supra citavi ἐὰν ἐλέγξωμεν Κτησιφῶντα καὶ παράνομα γράψαντα καὶ ψευδῆ καὶ ἀσύμφορα τῇ πόλει. Sane inest partitio quaedam: nam de παρανόμοις §§ 9—48, de ψευδέσι §§ 49—176, de ἀσυμφόροις denique passim in iis, quae sequuntur, velut §§ 177 sqq. 231 sqq. 245 sqq. 254 dicitur. — At neque iustae formae in prooemiis solitae et tam incerta vagaque illa partitio est, ut prima verba § 9 eo referri nequeant [1]). Nam verba περὶ δὲ αὐτῶν τῶν νόμων, οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὑπευθύνων, παρ' οὓς τὸ ψήφισμα τοῦτο τυγχάνει γεγραφὼς Κτησιφῶν, διὰ βραχέων εἰπεῖν βούλομαι nisi aliqua Demosthenis rationum mentione facta non habent, quo nitantur [2]). — Quae cum ita sint, ante § 9 adfuisse olim iustam partitionem statuamus necesse est. Quae num inter exordium, quod aetatem tulit, et § 9 collocata erat? At quomodo sic intercidere potuit? — An primo aliud quoddam exordium § 9 antecessit, cui partitio inserta erat? Multo hoc probabilius est. — Sed quando id ortum est, quod ad nos pervenit? Reapse, puto, veri simillimum est, brevi ante iudicium Aeschinem id commentatum esse. Difficile enim adducemur, Aeschinem apud iudices eadem praefatum esse, quae sex annis ante praefaturus erat. Nimirum imprimis

[1]) cf. ea, quae Foxius de eius partitionis vi l. c. p. 239 disserit. Blassius quoque claram hanc partitionem non esse concedit, neque tamen in eo offenditur (III, 2. p. 183).

[2]) Weidnerus (ed. post. ad § 9), quod ante Aeschinis orationem Ctesiphontis προβούλευμα et Aeschinis γραφὴ recitata sunt sufficere putat. — At quamquam semper γραφὴ et ἀντιγραφὴ recitabantur, tamen ii qui accusabant, nisi δευτερολογίας habebant, partitionem orationi praeponebant sed utut hoc est, certe verbis περὶ μὲν οὖν sqq. omissam partitionem arbitrari vetamur.

exordia orationum ad praesentem rerum condicionem accommodari consentaneum est. Deinde profecto talia apud tribunal eum locutum esse e Demosthenis verbis apparet, quae or. de cor. § 292 leguntur καίτοι τὸν τῶν νόμων καὶ τῆς πολιτείας φάσκοντα φροντίζειν, ὥσπερ οὗτος νυνὶ κτλ, quae iure a Westermanno et Lipsio [1]) ad Ctes. § 5 sq. referuntur. — Denique nulla re movemur, ut orata causa novum exordium ab Aeschine compositum aut vetus retractatum esse putemus [2]). Itaque traditum prooemium anno ad Chr. n. 330 scriptum esse et in vetustioris cuiusdam locum successisse veri simile est. Tractationis autem initium ad vetustius illud exordium pertinens Aeschines reliquit. Quo factum est, ut partitio prorsus interiret.

Difficilius alter et quintus locus absolvuntur. Unam eandemque rem iis tractari supra sumpsi. Kirchhoffius [3]) et Halmius [4]) ei sententiae subscribunt. Contra Baerwinkelius aliam rem altero aliam quinto loco agi contendit. Et magno acumine vir doctus iudicium suum probare studet [5]) neque ego facere possum quin quodammodo ei assentiar. — Re enim vera non plane idem duobus illis locis disseritur, sed de eadem re diversis ex partibus agitur. Quod ut illustretur, alter cum quinto loco comparandus est. De locis altero et quinto. §§ 13—16 et 28—30.

§§ igitur 13—16 hoc argumentum est: Legem de ὑπευθύνοις Demosthenes ita subterfugere conabitur, ut non ordine, i. e. aut sorte aut suffragiis, sed populiscito de muris reficiendis facto se creatum itaque iustum magistratum non esse simulet. — At ex lege de magistratuum δοκιμασίᾳ elucet, omnes, qui publicas quasdam pecunias plus XXX dies administrant quique iudicio cuidam praesunt — in utroque autem numero insunt

[1]) cf. eorum editiones or. de cor. ad § 292.

[2]) His, quae modo disserui, Blassii sententiam refutavisse mihi videor, qui iam a. a. Chr. n. 336 prooemium scriptum esse iniuria e verbis λύετε τὰς παρανόμους γνώμας concludit, quae in universum dicta sunt. Ipse sane vir doct. de coniecturae suae fide dubitat.

[3]) l. c. p. 65.

[4]) p. 5 extr.

[5]) pp. 33—36

moenibus reficiendis praefecti — haberi pro magistratibus. — Ergo Demosthenes, quamquam extra ordinem creatus erat, tamen legitimo magistratu fungebatur ideoque rationibus obnoxius erat. Quinto autem loco haec disseruntur: At, inquiet Demosthenes, non a populo, sed a tribubus creatus sum; quomodo igitur in magistratibus numerare me potes? — At in legibus diserte exponitur, tria magistratuum genera esse: unum a populo aut sortitione aut suffragiis factorum, alterum eorum, qui urbis quasdam pecunias plus XXX dies administrent, tertium si qui alioquin delecti iudicio alicui praesint. Primo autem genere sublato apparet, altero et tertio, qui soli supersunt, a tribubus curiis gentibus creatos contineri. — Hae sane argumentationes non omnino inter se consentiunt. Tamen utroque loco Demosthenes infitiari dicitur, legitimum magistratum se gessisse, utroque ei legem de probandis magistratibus Aeschines opponit. In hac tantum re differentia posita est, quod hic ab iis, a quibus creatus sit, illic a ratione creandi orator argumentum petit. Sed hoc discrimen tam leviusculum est atque ab ipso Aeschine tam parum dilucide expressum, ut quintus locus exiguis rebus mutatis alterius imago esse videatur. Quaeritur autem, num credibile sit, hoc modo oratorem quasi ipsum se imitatum esse. Baerwinkelius quidem eam quaestionem sibi omnino non proposuit, sed tenuem illam differentiam pluris aestimans repetitionem exstare nullam statuit. At quod pg. 35 compreuso argumento §§ 28—30 „diversa agebatur res," inquit, „supra (13—16), ubi populine an tribulium suffragiis creatus fuerit non quaeritur" et p. 40 novum argumentum §§ 28—30 refutari dicit, in his speciem veri magis quam veritatem ipsam secutus est. — Duas enim res, quas supra indicavi, Baerwinkelius penitus celavit aut obscuravit: quod utroque loco et eadem lex affertur et eadem res evincitur, scilicet τειχοποιίαν ἀρχὴν εἶναι. Quin enim una lex de magistratuum δοκιμασίᾳ ab Aeschine usurpetur, dubitari prorsus nequit. Quod ut planius perspicias, ea verba, quae § 14 legis esse orator dicit, iis, quae § 29 citantur, conferas, quaeso:

τὰς χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων καὶ πάντας ὅσοι διαχειρίζουσί τι τῶν τῆς πόλεως πλέον ἢ τριάκονθ᾽ ἡμέρας καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων, τούτους ἄρχειν δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς...

οἱ κληρωτοὶ καὶ οἱ χειροτονητοὶ ἄρχοντες καὶ ὅσοι τι διαχειρίζουσι τῶν τῆς πόλεως ὑπὲρ τριάκοντα ἡμέρας καὶ οἱ τῶν δημοσίων ἔργων ἐπιστάται καὶ εἴ τινες ἄλλοι αἱρετοὶ ἡγεμονίας δικαστηρίων λαμβάνουσι, καὶ τούτους ἄρχειν δοκιμασθέντας.

Haec verba ad unam eandemque legem referenda esse qui negat, sciens fallitur [1]). Nec minus manifestum est defensionem quam utrobique Aeschines ante occupat, unam esse eandemque. Utrobique enim adversarios inducit negantes, moenibus reficiendis praefectos legitimos magistratus ideoque rationibus reddendis obnoxios esse. Rationes tantum paululum diversas proferunt, altero scilicet loco in annuis, altero in populi magistratibus Demosthenem non fuisse. Itaque suo iure viri docti dixerunt, §§ 28—30 argumentum iam §§ 13—16 satis profligatum cum quadam voluptate iterum ab oratore excidi [2]). At tam molesta putidaque haec repetitio est, ut iudicibus eam ab Aeschine appositam esse credere nequeam. Roemheldtius [3]) sane, qui est eius viri docti mos, scite callideque hanc quoque rem ab oratore institutam esse cognovit. Veritatem enim naturae vitaeque humanae Aeschines ei secutus esse videtur, cum vile [4]) illud argumentum paululum mutatum ab adversario repeti fingeret. — Sed ipse Aechines nullo verbo indicat, r e p e t i t u m id denuo sibi refutandum esse. An verbis καὶ ἀλλ᾽ ἀντιδιαπλέκει πρὸς τοῦτο εὐθὺς huius rei ulla notio subest?

[1]) Quamquam ne Halmius quidem id intellexit (l. c. p. 5).

[2]) Halm. l. c. p. 5, Kirchhoff. p. 65 Weidner in post. ed. prolegg. p. 14 adn. et in commentario ad § 27 extr.

[3]) l. c. p. 20—22.

[4]) re vera id vile esse plerique viri docti recte censuerunt. Ne Halmius quidem quidquam evincere studet, nisi in lege ab Aeschine citata murorum refectionem in legitimus magistratibus non haberi; esse eam ἀρχὴν non infitiatur. Hoc solus Blassius (c. l. III, 2, p. 185 sq.) infirmis rationibus nixus fecit. Ipse videlicet Demosthenes rationibus τειχοποιίαν obnoxiam fuisse auctor est, cum §§ 113 et 117 reddidisse se eius muneris rationes commemoret.

Si autem profecto praestigias illas iam pridem repulsas iterum inferri orator simulasset, sine dubio Demosthenem propter invictam pertinaciamstultitiamartes nugatoriasacerbe increpasset, non leni ac summissa oratione ea iterum redarguisset, nullo modo acta a Demosthene agi monens. Ergo sic §§ 28—30 a vituperatione non vindicantur[1]). Equidem longe aliter hanc difficultatem solvendam esse mihi persuasi. Ut enim statim dicam, quod sentio, nunquam ambo loci aut orandae aut edendae oratione destinati fuisse, sed duae eiusdem rei expositiones olim duobus insertae commentariis esse mihi videntur. — Qua de causa, quod supra statui, primum alterum quintum sextum locum argumentationis de ὑπευθύνοις primae recensioni ascribendos esse, iam quodammodo restringendum est. — Primum quidem scrutemur, quae ratio utrique loco cum sexto intercedat, a quo in exploranda singulorum locorum aetate proficiscendum esse supra vidimus. — Apparet autem, § 31 solum ad quintum locum spectare. Verbis enim „ὅτι ὁ μὲν νομοθέτης τοὺς ἐκ τῶν φυλῶν ἄρχειν κελεύει δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἡ δὲ Πανδιονὶς φυλὴ ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε Δημοσθένην," horum summa contenta est: καταλείπεται, οὓς αἱ φυλαὶ καὶ αἱ τριττύες καὶ οἱ δῆμοι ἐξ ἑαυτῶν αἱροῦνται τὰ δημόσια χρήματα διαχειρίζειν, τούτους

[1]) Magnum acumen Guilelmus Fox l. c. p. 310 sqq. in explicandas et defendendas §§ 28—30 contulit. Qui ut repetitionem exstare dat, ita eam satis excusari eo arbitratur, quod laxae orationis structurae, quam Aeschines adamet, consentanea sit et aliqua certe ex parte adversariorum argumentum mutetur. Sed has res aequo pluris facit, alias minoris. Minime enim, id quod gravissimum est silentium ipsius Aeschinis de repetitione his Foxii verbis explicatur: In gewisser Beziehung haben wir hier ein neues Argument, und daraus erklärt sich, dass auf die frühere tractatio nicht einmal mit einem ὅπερ εἶπον Bezug genommen wird. Pergit vir doctus: Was aber mehr befremdet, ist der Umstand, dass auch die eben erst nach § 15 verlesenen gesetzlichen Bestimmungen über die Beamtenprüfung nach § 30 abermals verlesen werden. So wichtig ist jedoch auch dieser Umstand nicht, dass er zur Annahme irgend einer Textescorruption nöthigte. Sane ne ego quidem corrupta verba esse inde concludo, sed hanc quoque rem, quod ratione postulatur, pro testimonio habeo, quod declaret. §§ 28—30 et 13—16 non simul scriptas aut dictas esse.

αἱρετοὺς ἄρχοντας εἶναι[1]). τοῦτο δέ γίγνεται, ὅταν, ὥσπερ νῦν, ἐπιταχθῇ τι ταῖς φυλαῖς, ἢ τάφρους ἐξεργάζεσθαι ἢ τριήρεις ναυπηγεῖσθαι. Contra §§ 13—16 tribuum ne nomen quidem adhibetur. Harum argumentum si § 31 comprendisset, non τοὺς ἐκ τῶν φυλῶν, sed τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων vel τοὺς κατὰ ψήφισμα διαχειρίζοντάς τι τῶν τῆς πόλεως vel simile aliquid Aeschini scribendum erat. — Itaque quintum locum in primo orationis commentario fuisse, alterum postea compositum esse conicio. — Restat, ut diiudicetur, uter eorum apud iudices oratus sit. Uterque enim fieri potuisse ut oraretur praefracte negavimus. Alterutrum autem prolatum esse ex his Demosthenis verbis elucet, quae or. de cor. § 111 leguntur: τοσούτῳ γὰρ δέω λέγειν ὡς οὐκ εἰμὶ ὑπεύθυνος, ὃ νῦν οὗτος διέβαλλε καί διωρίζετο, ὥσθ' ἅπαντα κτλ. Sed utrum ad quintum an ad secundum locum ea respondeant, nisi ipsa utriusque indole acerrime castigata non dispicietur. Quamquam hanc viam ingressis magnopere nobis cavendum est, ne praeiudicatis opinionibus fallamur. Comparatis inter se iis verbis, quae § 14 et iis, quae § 29 e legibus citantur, ut ad eandem legem ea pertinere, ita singillatim summopere discrepare intellegitur. In hac vero re praecipue iudicium de utriusque loci natura positum est. — Quinto enim loco omnia patent. Tria magistratuum genera sunt, ait Aeschines, primum ordinariorum qui aut suffragiis populi aut thesmothetarum sortitione fiunt, alterum eorum, qui publicas aliquas res plus XXX dies administrant[2]), tertium ceterorum', qui ad aliquod munus creati iudicio praesunt. Si igitur ordinarios dempseris, alteri et tertio generi a tribubus et curiis et gentibus delecti relinquuntur. Hi autem omnes probati munera gerere iubentur. Itaque Demosthenes, a tribu Pandionide

---

[1]) Sic Frankius. Sed cum Scheibio potius sic verba mutanda sunt: καταλείπονται, οὓς — διαχειρίζειν, verbis τούτους — εἶναι eiectis. Nam cum sententia id flagitat, tum vulgata lectio verborum structuram habet ab Atticis scriptoribus omnino alienam.

[2]) Hic in codicibus οἱ τῶν δημοσίων ἔργων ἐπιστάται adiecti sunt. Sed optimo iure Weidnerus per athetesin eos sustulit, quippe quos ab hac lege afuisse subsequens ratiocinatio (§ 30) alioquin supervacua doceat.

ad muros reficiendos creatus, magistratus ideoque etiam rationibus subiectus erat. Haec prorsus plana sunt, nisi quod Aeschines solis (καταλείπονται) tribuum curiarum gentium magistratibus alterum et tertium genus effici fingit, cum sine dubio etiam alia munera in eo numero haberentur. Contra secundo loco inveniuntur, in quibus magis offendaris. Nam ut mittam, quod § 14 ante magistatus χειροτονίᾳ creatos sorte facti non enumerantur, quamquam § 13 eorum mentio fit (ἃς οἱ θεσμοθέται ἀποκληροῦσιν ἐν τῷ Θησείῳ[1]), primum valde dubito, num publicis operibus praefecti diserte in lege de magistratuum probatione nominati fuerint. Nam et in § 29 per interpolatorem irrepserunt neque veri simile est, suum locum eos in lege habuisse, propterea quod alteri et tertio magistratuum generi subiecti erant neque quidquam fuit, cur ex eo numero eximerentur. Accedit, quod, si tamen id factum esset, iudices Aeschini vix credidissent, cum murorum refectionem magistratum esse adversarios negaturos praediceret, tantopere enim eos insanire, ut diserta legis verba contemnerent, prorsus incredibile erat. Sed si procuratio murorum reficiendorum sub universa parumque expressa extraordinariorum magistratuum notione latebat facilius rei illo effugio uti poterant. — Neque vero haec sola, sed etiam verba καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς Aeschines in legem de probandis magistratibus latam intulisse mihi videtur. — Quod paulo altius repetendum est. Baerwinkelius[2]) rectissime dicit, quod §§ 13—16 et 28—30 occupatur reorum argumentum imprimis eo spectare, ut ὑπεύθυνον fuisse Demosthenem

[1]) Foxius l. c. p. 311 verba ἀρχὰς ἁπάσας εἶναι, ἃς ὁ δῆμος χειροτονεῖ falso interpretatus est. Non enim significant omnes a populo (scil. sive sortitione sive suffragiis) creatos esse magistratus, sed „magistratus esse omnes a populo χειροτονίᾳ nominatos", i. e. non exstare ἐπιμελείας aut διακονίας χειροτονητάς, sed solum ἀρχὰς χ. Profecto ab Aeschinea legis forma sorte factos afuisse, verba quae § 15 leguntur ἐπειδὴ καὶ αἱ κληρωταὶ ἀρχαὶ οὐκ ἀδοκίμαστοι, ἀλλὰ δοκιμασθεῖσαι ἄρχουσι declarant, quae ipsa quoque a Foxio perperam intellegi consequens est.

[2]) l. c. p. 31.

negent. Concludit inde vir doctus, in lege, qua Aeschines illud argumentum impugnat, necessario de rationibus reddendis sermonem fuisse. — Hac autem de causa verba καὶ λόγον καὶ εὐθύνας κτλ ipsius legis esse iudicat. At in §§ 29 et 31, ubi valde miror quod Baerwinkelius non perspexit eandem legem citari, verba illa desunt. — Atqui quanam de alia re ibi agitur, nisi item de reddendis rationibus? Quae cum ita sint, in lege utroque loco allata ea verba infuisse nego. Immo verum vidisse Halmium [1]) existimo, quod solum de δοκιμασίᾳ magistratuum ibi praeceptum fuisse dicit et in citando loco verba de quibus quaerimus omittit. — Quamquam tantum Aeschini dandum est eos magistratus, qui probationem subeant, etiam rationibus obnoxios fuisse idque non disertis verbis in lege exprimi, sed iusta conclusione inde effici. — Certe etiam de rationibus reddendis lex quaedam fuit, sed veri simile est, eius verba ad Aeschinis consilium minus apta fuisse, quam legis de δοκιμασίᾳ latae. — Itaque in §§ 13—16 orator legibus praestigias admovet. — Adde, quod § 16 convicia adversariis ingerit, quod verbis ἀλλ' ὅσῳ ἄν τις ἄμεινον λέγῃ παράνομα γεγραφὼς, τοσούτῳ μείζονος ὀργῆς τεύξεται pingue sophisma admittit, talia autem a quinto loco alienissima sunt. Hoc enim obiter moneo, locos mea sententia ante iudicium scriptos et in lite oratos leni simplici claro sermone uti, postea scriptos acri implicato obscuriore. — Sed ut ad alterius loci offensas redeamus, sane eae non tantae sunt, quantas iudices non toleraverint; tamen quoniam quintus locus eiusmodi offensis vacat, sine ulla dubitatione hunc conscriptum esse contendo, qui apud tribunal diceretur, alterum autem, qui in edita oratione legeretur. Nec minus probabile est, altero loco quintum expelli oratorem voluisse [2]). — At utrum primo an secundo commentario quintus locus ascribendus sit ex ipsius

---

[1]) l. c. p. 4 sqq.

[2]) Hoc si sumpseris, ea quaestio, quam Foxius p. 312 Kirchhoffio, de cuius sententia infra disserendum erit, iure proponit, cur tandem post iudicium Aeschines illam rem denuo tractarit, optime solvitur.

argumento diiudicari non potest. Sed quae ratio ei cum § 31 intercedit primi commentarii eum partem esse satis docet. —

De aetate § 31. Tandem obliquo, qui videtur, quaestionis cursu iterum ad § 31 delati sumus. De qua iam facile iudicatur. Quoniam enim exploratum est, eos locos, qui § 31 negleguntur, alteri et tertio orationis commentario, qui respiciuntur, primo assignandos esse, sequitur, ut haec peroratiuncula ipsa quoque in vetustissima oratione infuerit. — Sed sunt nonnulla in § 31, quibus hoc iudicium quodammodo corrigere cogimur. Primum enim diligenter, quaeso, haec verba contempleris: ἐγὼ δὲ ἐξελέγχω τὸ παράνομον, μάρτυρας ἅμα τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα καὶ τοὺς ἀντιδίκους παρεχόμενος[1]). Ea videlicet verba, quae maioribus litteris notavi, neque ad primum neque ad quintum locum, sed ad quartum spectant. Uno enim hoc, cum ceteris adhibeat leges, populiscita et ipsum reum eiusque advocatum testium loco producit (§ 27 τούτων ὑμῖν αὐτὸν Δημοσθένην καὶ Κτησιφῶντα μάρτυρας παρέξομαι. — καί μοι λέγε τὰ ψηφίσματα. Ad eundem vero locum etiam verba ἡ δὲ Πανδιονὶς φυλὴ ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε Δημοσθένην pertinent. Nam, quamquam, quod supra contendi, §§ 28—30 argumentum iis stringi, etiamnunc obtineo, tamen facere non possum, quin concedam, nisi recitato tribuum de nominatione Demosthenis decreto ea verba scribi non potuisse. Hoc autem post § 27 recitatum est[2]). Quae cum ita se habeant, consequens est, § 31 in primo commentario illam quidem infuisse, sed quarto loco addito retractatam esse. Neque vero novicium locum iuste orator comprensioni inseruit, sed quasi carptim eum adhibuit, quo collectio suppleretur ac fulciretur Haec res memoratu digna est, propterea quod in ea imper-

[1]) Ex plurali numero hic posito apparet, recte § 27 Δημοσθένην καὶ Κτησιφῶντα μάρτυρας traditum esse. Quidni ad Ctesiphontem quoque provocaretur, quem quidem veri simile sit interfuisse illi contioni?

[2]) Quod Weidnerus (adnot. ad. prolegg. ed. prior. p. VIII) mihi probavit, cui etiam Baerwinkelius (p. 34 adn.) et Foxius (p. 311 extr.) astipulantur. Itaque tradita lectio iniuria a Frankio temptata est, cum in textu τὸ ψήφισμα et in lemmate Ψήφισμα scribi iuberet.

fectus quidam conatus cernitur duas recensiones inter se conciliandi.

Sed tandem huius quaestionis quaedam ἀνάπνευσις incidit, per quam licet, cursum eius et ea, quae adhuc inde erui, circumspicere breviterque complecti. In 31. igitur §, qua Aeschines argumentationem de rationibus, cum Ctesiphon rogaret, ut coronaretur, Demostheni reddendis conclusit eiusque singulos locos summatim repetivit, duo loci praetermittuntur: unde coëgi cum orator § 31 scriberet, hos nondum scriptos fuisse. — Haec vero coniectura castigatis eorum locorum argumentis bene confirmata est. Nam tertium locum, §§ 17—23, in suppositiciis occupationibus, quas Westermannus appellat, numerandum itaque facto demum iudicio orationi insertum, quartum, §§ 24—27, paulo ante iudicium compositum esse evici. — Jam § 31 et eos locos, ad quos pertinet, vetustissimi orationis commentarii statim post intentam litem exarati partem esse conicere in promptu fuit. Huic quoque ratiocinationi recensitis illis locis fides addita est. Si enim ullum, primum certe locum, quippe in quo totius argumentationis acumen inesset, initiis Ctesiphonteae aequalem esse cognovimus. Quod etiam hiatus quidam declaravit, qui ineunti § 9 cum exordio intercedit. Inde rursus effectum est, ut exordium paulo ante iudicium scriptum sit. — Contra alter et quintus locus quasi fratres diversae aetatis esse mihi visi sunt, propterea quod iis idem argumentum rationibus vix disparibus bis absolvitur. — Atque quintus quidem locus, certe ante iudicium confectus, nihil est cur a primo disiungatur. Alterum autem locum orator edendae orationi inseruit, cui quintus cederet. — Sextus denique locus quoniam re vera a locis alteri et tertiae recensioni annumerandis alienus est, e contentis primo commentario omnino pendet, in eandem atque hi aetatem incidit. — Haec vero ita se habere, non solum ipsius Aeschinis verba, sed etiam, quae Demosthenes ad ea respondet, declarare mihi videbantur.

Ergo, quae quidem praesto esse viderim, probationis instrumenta omnia quaestiunculae admovi, num recte iis usus

sim aequi iudices aestiment. Mirum sane est, quod me evicisse spero. Ultro enim difficile crederes, in tantula orationis parte omnium recensionum vestigia cerni posse et tam parum Aeschinem rimas hiatus ceteras offensas e triplici opera natas oblitterasse. Atque etiam ipse diu in suspicionem me vocavi, nonne praeiudicatae opinioni indulgens quod invenire cuperem, crederem inventum. Sed quam severissime et Aeschinis Demosthenisque verbis et mea argumentatione iterum iterumque castigatis facere non potui, quin vera aut saltem probabilia a me indagata esse et mihi persuaderem et aliis me persuasurum esse confiderem.

De pecuniis scaenicis epimetrum.

Sed ante me Kirchhoffius vir doct. l. c. p. 64 sqq. eandem quaestionem tetigit. De cor. enim orationis §§ 53—121 ante iudicium compositas esse demonstraturus novum argumentum in mentione pecuniarum scaenicarum § 113 iniecta invenisse sibi visus est. Ol. CX, 4 scilicet Demosthenes non solum moenia reficienda, sed etiam administrandas pecunias scaenicas curabat. Hoc autem munus in iudicio ab Aeschine respectum non esse Kirchhoffius arbitratur. Quod si verum esset, sequeretur, ut § 113 ante iudicium Demosthenes scripsisset et his verbis οὗτος συκοφαντῶν, ὅτι ἐπὶ τῷ θεωρικῷ τότε ὢν ἐπέδωκα τὰ χρήματα, ἐπῄνεσεν αὐτόν φησι ὑπεύθυνον ὄντα κτλ etiam scaenicis pecuniis nisurum adversarium exspectans hoc argumentum praecavisset. Sed nostra solum interest examinare eam rationem, qua usus Kirchhoffius pecunias scaenicas ab Aeschine apud iudices prolatas esse infitiatur. — Nonnullis scilicet locis eius, de qua quaesivimus, Ctesiphonteae partis Aeschines de rationibus Demosthenis disserens praesentia verborum tempora usurpat, quamquam, cum orationem haberet, eae iam pridem redditae erant. Hi autem sunt loci: § 14 ἔστι δὲ ὁ Δημοσθένης τειχοποιός . . § 17 λέξει γὰρ οὗτος·. τειχοποιός εἰμι ὁμολογῶ et τίνος οὖν εἰμι ὑπεύθυνος; §23 ὅταν τοίνυν μάλιστα θρασύνηται Δημοσθένης λέγων, ὡς διὰ τὴν ἐπίδοσιν οὐκ ἔστιν ὑπεύθυνος et ἔασον ἀμφισβητῆσαί σοι τὸν βουλόμενον τῶν πολιτῶν, ὡς οὐκ ἐπέδωκας, ἀλλ' ἀπὸ πολλῶν ὧν ἔχεις — μικρά κατέθηκας. § 31: ἡ δέ Πανδιονὶς φυλὴ ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε Δημοσθένην, ὃς ἐκ τῆς διοικήσεως εἰς ταῦτα ἔχει μικροῦ

δεῖν δέκα τάλαντα. — Contra imperfecta et aoristi ad eandem rem spectantes his locis exstant: § 24: ὅτι δὲ ὄντως ἦν ὑπεύθυνος ὁ Δημοσθένης. . . . § 27 ὡς τοίνυν καὶ τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχὴν ἦρχεν — καὶ τὰ δημόσια χρήματα διεχείριζε καὶ ἐπιβολὰς ἐπέβαλλε — καὶ δικαστηρίων ἡγεμονίας ἐλάμβανε κτλ. — Unde Kirchhoffius conclusit, §§ 3—23 et 31 ante, 24—30 post iudicium conscriptas esse, id quod etiam molesta illa repetitione stabiliretur, quae §§ 28—30 exstaret[1]. At ut mittam, quae de indole §§ 13—16, 28—30, 17—23, 31 exposui, primum nullo modo intellegitur, qua de causa Aeschines §§ 24—27 re diiudicata orationi addiderit, quippe quae iudicio aptissimae atque necessariae essent, legentibus oscitationem movissent. — Deinde, id quod supra probare studui, §§ 28—31 a 31 separari nequeunt. Tum, ni vehementer fallor eodem loco semel de praesentibus, non de praeteritis Demosthenis rationibus dicitur. Extremo scilicet § 30 haec leguntur: τοῦτο δὲ γίγνεται, ὅταν, ὥσπερ νῦν, ἐπιταχθῇ τι ταῖς φυλαῖς, ἢ τάφρους ἐξεργάζεσθαι ἢ τριήρεις ναυπηγεῖσθαι. Atqui fossas ducere et moenia reficere tribus iussae sunt Ol. CX,4 Demosthene scaenicas pecunias curante. Itaque ne temporum quidem ratio in §§ 28—30 Kirchhoffio suffragatur[2]. An νῦν hic non „nunc“ sed „in re praesenti“ significat? — Quibus de causis de compositione §§ 9—31 ego viro doct. verius iudicasse mihi videor, qui hanc quaestionem obiter tantum strinxit. —

Sed quid de ipso illo indicio existimemus, quod Kirchhoffius secutus est? Certe temporum usus ad eruendam singulorum locorum aetatem quam plurimum valere videtur. — Constat igitur, Ol. CX, 4, cum Ctesiphon de corona rogaret, Demosthenem et murorum refectioni et pecuniis scaenicis praefuisse. Itaque Ol. CXII, 3 cum in causam descenderet, munerum illorum iam dudum rationes ab eo redditae erant. Quod quomodo apud iudices neglegere Aeschini licuit? Ac, si neglexisset, nonne Demosthenes summo iure eum impu-

---

1) Weidnerus (prolegg. post. ed. p. 14 adn.) et Blassius (l. c. III, 2,184) Kirchhoffio assentiuntur.

2) Quod etiam Foxius l. c. p. 313 animadvertit.

denter contemptae veritatis incusasset? Sed ne iudicibus quidem tam vanas pravasque artes admovere potuit. Quae cum ita sint, Halmii et Foxii sententiam equidem cogitatione non assequor. Ille enim [1]) in iudicio Aeschini fingere licuisse putat, quasi anno a. Chr. n. 336 oraret, si modo per totam orationem id retinuisset, quod fecisse eum negat. Foxius vero [2]) per utramque de corona orationem eandem temporum perversionem usurpari, interdum autem, cum res postulet, tolli opinatur. Ergo §§ 9—23 et 28--31 normam suam orator secutus esse, §§ 24—27 re postulante ab ea discessisse Foxio videtur. Sed absurdam hanc opinionem nullo argumento sustinuit. Et tot loci utriusque orationis ei repugnant, ut norma, quae a Foxio statuitur auferatur multitudine exceptionum ipsaque in paucas exceptiones quasi diffluat [3]). Quid? quod rerum, quae ad causam pertinebant, tempora tantopere perturbare et miscere etiam legibus prohibitum fuisse certum est? Quibus de causis Halmium et Foxium in errorem incurrisse existimo. — Venio ad Baerwinkelii opinionem. Qui [4]) Kirchhoffio adversatus, „quo gravior quoque efficacior fieret oratio" praesentibus usum Aeschinem apud iudices de rationibus Demosthenis dixisse atque impune dixisse contendit. Sed cum tam saepe et manifesto perinde loqueretur, quasi eae etiamtum non redditae essent, licentiae oratoriae fines excessit planeque veritatem satis magnae rei [5]) pervertit. Quod per iudices ei licitum esse equidem non credo.

Contra meae sententiae de compositione §§ 9—31 expositae praesentia illa optime conveniunt atque opitulantur. Ii enim loci, in quibus inveniuntur, iidem sunt, quos post

[1]) l. c. p. 2

[2]) l. c. p. 313 sq.

[3]) De orationum locis ad annum 330 spectantibus Rauchensteinium (l. c. p. 21 sq.) et Dissenium (ed. or. de cor.) consule.

[4]) l. c. p. 38.

[5]) quamquam enim redditis a Dem. rationibus crimen Ctes. non diminuebatur, tamen non nihil referebat, quod rationibus corona dignum saltem se esse Dem. probaverat.

iudicium scriptos esse puto, alter et tertius. — Ab iis autem, quos in iudicio prolatos esse duco (§§ 1—8, 9—12, 24—27, 28—30, 31) praesentia absunt excepto illo νῦν in § 30, quod unum haut ita magni existimandum est. — Itaque sic rem se habere arbitror: In iudicio Aeschines invidiam veritus sincere iusteque de adversarii rationibus locutus est; sed timore illo remoto edendae orationi praesentia iniecit, quibus Demosthenem etiamtum, cum oraret, ὑπεύθυνον fuisse lectoribus parum curiosis et νεωτέροις τῶν πεπραγμένων[1]) persuaderet. His etiam, id quod §§ 19 et 23[2]) fecit, de largitione Demosthenis dubitationes inicere potuit, iudicibus, qui ipsi eam viderant, non potuit. Itaque etiam de pecuniis scaenicis Aeschines in causa dixit. Et quidni eas commemoraret? Nimirum argumentum quoddam inde capi potuisse ipse Kirchhoffius arbitratur, cum a Demosthene id praecautum esse censeat. Nam in Ctesiphontis quidem rogatione earum mentionem factam non esse ex utriusque oratoris silentio, imprimis e Ctes. 236 et or. de cor. 299, luculenter apparet. Sed eo, quod, cum Ctesiphon rogationem ferret, Demosthenes non solum τειχοποιίας, sed etiam multo gravioris muneris, scaenicarum pecuniarum administrationis, quae etiamtum summa potestate erat[3]), rationes nondum reddiderat, sine dubio Ctesiphontis crimen augebatur. Nam si ea, quae Demosthenes de muris et fossis meritus erat, ante redditas rationes laudata essent, nonne de altero quoqne Demosthenis munere cives et iudices libere iudicare essent prohibiti? — Atque ipse Demosthenes, si or. de cor. § 113 recte interpretor, minime a causa alienas esse pecunias scaenicas arbitratur, sed et eorum et τειχοποιίας rationibus red-

[1]) Dem. de. cor. § 50.

[2]) τοὺς τριηράρχους ὑπευθύνους εἶναι κελεύει ὁ νόμος οὐ τὰ κοινὰ διαχειρίσαντας οὐδ᾽ ἀπὸ τῶν ὑμετέρων προσόδων πολλὰ μὲν ὑφαιρουμένους βραχέα δὲ κατατιθέντας, ἐπιδιδόναι δὲ φάσκοντας, ἀποδιδόντας δὲ ὑμῖν τὰ ὑμέτερα et: ἔασον ἀμφισβητῆσαί σοι, ὡς οὐκ ἐπέδωκας, ἀλλ᾽ ἀπὸ πολλῶν ὧν ἔχεις εἰς τὴν τῶν τειχῶν οἰκοδομίαν· μικρὰ κατέθηκας κτλ.

[3]) Quamquam § 25 non omnino vera de ea re Aeschinem disserere Schaeferus l. l. I., 188 sq. et II., 495 sq. demonstravit.

dendis se obnoxium fuisse confitetur, at neque propter pecunias scaenicas neque propter refectos muros, sed solum propter largitionem centum minarum laudatum se in rogatione esse contendit. Quamobrem suo iure Aeschines §§ 24—27, ubi ὑπεύθυνον Demosthenem fuisse, cum Ctesiphon rogationem ferret, demonstraturus est, etiam scaenicarum pecuniarum administrationem attulit. In ceteris autem cur eam penitus neglexerit, praeterquam quod omnino ad causam secundaria vi eam fuisse patet, facillime cognoscitur. Atque §§ 13—16 et 28—30 solum de τειχοποιίας natura quaeritur; cum vero de alterius muneris indole dubitari non posset, id stringere absonum, quin oratori verendum erat, ne, si iudices eius commonuisset, contra umbram ipsum pugnare arbitrarentur. Vel ipsa enim mentio scaenicarum pecuniarum ad defensionem illam uno ictu profligandam suffecisset. — Porro ad tertii loci argumentum eae nullo modo pertinebant. Nam quid pecuniis scaenicis cum largitione Demosthenis erat? Quam solum ad muros reficiendos factam esse Kirchhoffius iis, quae ad p. 65 adnotat, acute probavit[1]. — Tum primo loco in universum de lege περὶ τῶν ὑπευθύνων et Ctesiphontis adversus eam peccato disserens neque τειχοποιίαν neque administrationem pecuniarum scaenicarum nominatim extulit. Sexto denique loco cum primum et quintum comprenderet, nihil afferre licuit, quod ab his alienum esset.

[1]) Iis locis, quos Kirchhoffius attulit, ut de largitione in pecuniis scaenicis facta testes silere ostenderet, hos adicio: Libanii argumentum or. de cor., ubi theoricum ne memoratur quidem, alterum eiusdem orationis argumentum, ubi munus inducitur, non largitio, adulterinam Aeschinis γραφὴν or. de cor. §§ 54 sq. exhibitam, a qua item eius mentio abest, schol. ad or. de cor. § 112 „ἐν τῇ τειχοποιίᾳ γὰρ ἐπέδωκεν, ὡς ἔγνωμεν.“

Caput alterum.

De or. Ctes. §§ 32—48.

Ctes. § 177 sqq. Aeschines vehementer queritur, quod sua aetate res praeclare gestae rarissimae, honores ac praemia publica sint frequentissima. Veri aliquid huic querelae subesse ipse Demosthenes, quamquam ei obloquitur, tamen dare coactus est[1]. Et natura rerum ita fert, ut, quo pauciora eximie facta sunt, eo pluris aestimentur. Athenienses vero Demosthenis et Aeschinis temporibus magnis viris iam desuefactos fuisse inter omnes constat. Itaque tum aureis coronis viri de republica bene meriti redimiri coepti sunt, cum antea oleagineis contenti fuissent. Nec solum in pretiosa coronarum materia degenerata aetas cernitur, sed etiam in pronuntiationis magnificentia. Nam prius quidem ii, quibus a populo corona decreta erat, in contione simpliciter coronabantur: gliscente autem luxuria in theatrum coronatio translata et, quae ante fuerat seria publica actio, in spectaculum mutata est, quod magnis Dionysiis ante ludos scaenicos civium et peregrinorum multitudini offerebatur. Hunc coronas pronuntiandi modum tum in usu fuisse titulorum integerrimis testimoniis comperimus[2]. Nec solum Demosthenes in or. de cor. §§ 83, 222 sq., 120, sed etiam Aeschines Ctes. § 189[3] — nescio an inscius—eius rei auctor est. — Sed legi-

1) cf. XX, 115.

2) cf. C. J. A. I., 59, Ol. XCII, 2 scriptum [Επὶ Γλαυκι]ππου ἄ[ρ]χον[τ]ος ... [Ἔδοξεν τῇ] βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ ... Ἐρασινάδης εἶπ[ε ἐπαινέσα]ι Θρασύβουλον ὡς ὄντα ἄνδρα ἀγαθὸ[ν περὶ τὸν δῆ]μον τὸν Ἀθηναίων καὶ πρόθυμον π[οιεῖν ὅτι δύνα]ται ἀγαθὸν καὶ ἀντὶ ὧν εὖ πεπο[ίηκεν τήν τε βουλὴν] καὶ τὸν δῆ[μο]ν τὸν Ἀθηναίω[ν στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῷ στε]φάνῳ. ποιῆσα[ι δὲ τὸν στέφανον ἀπὸ χιλίων δρ]αχμῶν : . . . . καὶ ἀν[ειπεῖν, Διονυσίων. . . . τῷ ἀγῶνι, ὧν ἕν[εκα αὐτὸν ὁ δῆμος ἐστεφάνωσ]ε et C. J. A. II, 10b, qui ad Euagorae coronam eodem modo pronuntiandam pertinet.

3) τοῖς μὲν πύκταις ἐστὶν ὁ ἀγὼν πρὸς ἀλλήλους, τοῖς δ᾽ἀξιοῦσι στεφανοῦσθαι πρὸς αὐτὴν τὴν ἀρετὴν, ἧς καὶ ἕνεκα στεφανοῦνται. δεῖ γὰρ τὸν κήρυκα ἀψευδεῖν, όιταν τὴν ἀνάρρησιν ἐν τῷ θεάτρῳ ποιῆται πρὸς τοὺς Ἕλληνας, quae verba non ad peregrinas coronas pertinere manifestum est. Immo invitus veritatem Aeschines ibi prodidisse mihi videtur.

bus eum morem sanciri infitiatus παρανομίας Ctesiphontem ideo quoque accusavit, quod Demosthenem magnis Dionysiis in theatro, non convocata contione in Pycne aurea corona ornari iusserat.

De hoc autem crimine §§ 32—48 exponit, ad quas pertractandas iam nos conferamus. —

Argumentum earum sic dispositum est:

§§ 32—34 lege quadam, quam recitari iubet, praecipi orator demonstrat, ut eorum coronae, qui a senatu coronentur in curia, eorum qui a populo, in contione promulgentur, alibi nusquam. Quam legem optime se habere, a Ctesiphonte autem palam violatam esse. — Deinde §§ 35—48 alteram legem explicat, qua adversarios priorem defensuros esse praedicit. Atque §§ 36 sq usque ad verba ὅπερ διατελῶ σπουδάζων παρὰ πᾶσαν τὴν κατηγορίαν propositio eius loci exhibetur. Sequitur ad absurdum quae vocatur deductio §§ 37—40 contenta qua iustae refutationi tamquam proluditur. Ubi Aeschines talem, qualem adversarii fingunt, legem exstare omnino non posse ostendit, quippe quae priori post § 32 recitatae repugnet. — Excipit ipsa alterius legis explicatio, qua Demosthenis et Ctesiphontis ante redarguatur. Postquam enim §§ 41—43 unde nata esset Dionysiaca lex orator enarravit, iis, quae sequuntur, §§ 44 sq. explanat non populi et senatus coronae, sed solum alienarum urbium ut in theatro pronuntientur ea permitti. Tum §§ 46 sq hanc interpretationem artificiosa ratiocinatione erutam lege de consecrandis coronis in theatro datis confirmat, hanc enim ad populi et senatus coronas nullo modo spectare posse.

§ 48 denique summa eius paucis proposita caput concludit. — Simplicissime igitur haec argumentatio instituta est: duos tantum locos complectitur, quorum altero lex de senatus et populi coronis lata reo intenditur, altero Dionysiaca ab eo defensa ad veram interpretationem revocatur. Itaque vel hac re §§ 32—48 a priore de παρανομίᾳ capite multo differunt neque sperare licet, fore ut e compositione earum huic quaestioni ullum adminiculum repetatur. Neque profecto aut manca conclusio aut repetitum aliquod argumentum aut iunctinois

hiatus quaerenti lucem affundit, sed omnia plana et concinna sunt. — Accedit, quod ne temporum quidem ratio ad rem hic absolutam quidquam valet. — Cum scilicet priore capite de rationes reddendi officio e temporibus pendente sermo sit, §§ 32—48 de constitutis legum praeceptis dicitur, quae, nisi forte interim abolita vel mutata erant, id quod ignoramus, Ol. CXII, 3 iisdem verbis tractare licuit ac sex annis ante. Sed cur talia desideramus? Quo tandem iure exspectamus, in hoc quoque capite tam perspu a retractationis vestigia exstare? Quid? Verine dissimile est, aliquam orationis partem uno tenore scriptam neque ullo modo retractatam esse? — Proinde ne captemus difficultates, si nullae sunt; immo ipsam illam simplicitatem pro indicio habeamus, quod declaret, continue §§ 32—48 oratorem perscripsisse, perscriptas in causa protulisse, prolatas integras edidisse. — Nimirum iam in primo orationis commentario Aeschinem de pronuntianda corona dixisse in aperto est, propterea quod accusationis hic locus erat. Nam in or. de cor. §§ 56—58, ubi Aeschinis γραφὴ delineatur etiam τὸ . . . . ἀνειπεῖν ἐν τῷ θεάτρῳ τὸν στέφανον κελεῦσαι commemoratur [1]. Cum vero παρανομίας ob eam rem Ctesiphontem accusaret, habere Aeschinem necesse fuit, quam legem ab eo laesam esse contenderet, eam scilicet, quam §§ 32—34 tractavit. Nec solum hanc iam tum ei praesto fuisse consentaneum est, sed etiam eam, quam reus ei opposuit, Dionysiacam dico quae §§ 35—48 ab Aeschine refellitur. Neque enim ut Ctesiphontem et Demosthenem quasi futtili excusatione usos calumniaretur, Dionysiaca lege eos innisuros esse simulavit, sed profecto eam defenderunt. Quod ex or. de cor. §§ 120 sq apparet, ubi haec scripta videmus: ἀλλὰ πρὸς θεῶν οὕτω σκαιὸς εἶ καὶ ἀναίσθητος, Αἰσχίνη, ὥστ᾽ οὐ δύνασαι λογίσασθαι, ὅτι τῷ μὲν στεφανουμένῳ τὸν αὐτὸν ἔχει ζῆλον ὁ στέφανος, ὅπου ἂν ἀναρρηθῇ, τοῦ δὲ τῶν στεφανούντων εἵνεκα συμφέροντος ἐν τῷ θεάτρῳ γίγνεται τὸ κήρυγμα; οἱ γὰρ ἀκούσαντες ἅπαντες εἰς τὸ ποιεῖν εὖ τὴν πόλιν προτρέπονται καὶ τοὺς ἀποδιδόντας τὴν χάριν μᾶλλον

[1]) Hoc Blassium praeterire non debuit (cf. l. c. III, 2, p. 186).

ἐπαινοῦσι τοῦ στεφανουμένου διόπερ τὸν νόμον τοῦτον ἡ πόλις γέγραφεν. λέγε δ'αὐτόν μοι τὸν νόμον λαβών. — Νόμος. — Ἀκούεις, Αἰσχίνη, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς, πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται τούτους δὲ ἀναγορευέτω.

Quibus ea conferas velim, quae Aeschines § 44 e Dionysiaca lege ab adversariis sumptum iri praesagit: — διαρρήδην ἀπαγορεύει (sc. ὁ νομοθέτης) μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα.

Utraque igitur lex ad coronas in theatro pronuntiandas pertinet — quare utramque Dionysiacam appellare licet —. utraque omnia coronarum genera a theatro prohibentur addita clausula quadam, quam Demosthenes ad populi et senatus, Aeschines ad alienarum urbium coronas revocant. Et quisquam dubitabit, quin Demosthenis lex eadem sit, quam Aeschines §§ 35—48 per προκατάληψιν redarguit? Duaene leges Dionysiacae fuerunt inter se tam consimiles? Sed fuerint licet, num credibile est, si alterum Aeschines diluisset, Demosthenem alteram adhibentem accusatorem non irrisurum fuisse, quod divinatione esset deceptus, aut increpiturum, quod illam falso ipsi tribuisset? Immo ἀκούεις, Αἰσχίνη, ait, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς. Itaque una lex exstabat ab Aeschine occupata, sed συκοφαντικῶς explicata (τί οὖν, ὦ ταλαίπωρε, συκοφαντεῖς; τί λόγους πλάττεις; τί σαυτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις ἐπί τούτοις;) et mutata (ἀλλ' οὐδ' αἰσχύνῃ — νόμους μεταποιῶν).

Quare neque altera quaedam lex Dionysiaca neque vero ea, quam priore loco (§ 32) Aeschines affert, hic intellegi potest. — Tamen Aeschinis scholiasta et Kirchhoffius de hac lege de populi et senatus coronis lata cogitaverunt. Ille enim ad Ctes. § 35 haec adnotat: νόμον θέλει εἰπεῖν τὸν περὶ τῶν ξένων, ὅτι κελεύει ὁ νόμος τὸν ξενικὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ ἀναγορεύεσθαι. τοῦτον γὰρ καλεῖ Διονυσιακόν. ὁ δὲ Δημοσθένης διακόψας τὸ ἥμισυ τοῦ νόμου τοῦ πολιτικοῦ παρενέβαλε τῷ τῶν ξένων, ὡς ἔγνωμεν ἐκεῖσε ἐν τῷ περὶ στεφάνου κτλ. Nec multo minus mirum Kirchhoffii[1]) iudicium est, qui verba πλὴν ἐάν

1) l. c. p. 63.

τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται in lege, quam unam Aeschines in libello attulit, infuisse opinatur. Haec autem, quod Baerwinkelius[1]) apte exponit, prior illa lex est. Cui ne verba quidem, ut difficultates in rebus positas hic omittam, ullo modo convenire Foxius[2]) bene demonstravit.

Quae cum ita sint, iure plurimi viri docti Ctes. §§ 35—48 et or. de cor. 120 sq. de eadem lege disseri statuerunt[3]). Itaque, quod supra (p. 33 extr.) sumpsi verum est: §§ 35—48 eam legem ab Aeschine infringi, qua Demosthenes Ctesiphontem profecto excusat. — Atque solam hanc Demosthenes accusationi obiecit. Ergo alteram non habuit, quam obiceret. Sex vero annis ante habuisse credis? Minime. Ergo eandem γραφῇ, quam orationi Aeschineae, opposuit. Unde efficitur, ut iam Ol. 110, 4 Aeschines non ignorarit, eam excusatum iri. Nempe in anacrisi Ctesiphontem omnia crimina sibi intenta defendere opus fuit[4]). Quibus de causis in propatulo est, §§ 35—48 iam in primo commentario scribi certe potuisse. Neque ulla re scriptas ibi non fuisse adducimur. Tamen viri docti de hac quidem quaestione magnopere inter se dissentiunt. Ac primum quidem contra Kirchhoffium iterum[5]) obtinendum est, totam orationem de corona, quae ad nos pervenit, eadem fere forma uti, qua apud tribunal orata utebatur. Nihil enim cogitari potest, quo Demosthenes, sive cum ea commentarium ad iudicium exaratum retractando adaequavit sive neglecto eo memoriter forensem orationem refinxit, motus sit, ut multa in ea mutaret. Quae cum ita sint, etiam §§ 120 sq. ad Aeschineam de pronuntiandis coronis expositionem sic fere respondere constat, ut coram heliastis orator respondit. Neutram igitur earum coniectura-

---

1) l. c. p. 66.

2) l. c. p. 118 et 314.

3) Spengel c. l. p. 60 sq., Halm. p. 9. sqq, Westermann. de publ. Atheniens. honor. et praem. p. 55, Winiewski comm. hist. et chron. in Dem. or. de cor. p. 355 sqq. Roemheldt. p. 30, Baerwinkel. p. 47 et 68.

4) cf. Baerwinkel p. 64 extr. Fox p. 125, Roemheldt p. 35.

5) cf. supra p. 8 adn. 1.

rum amplectimur, de quibus Kirchhoffius[1]) optionem dat: neque de coronis pronuntiandis Demosthenes apud iudices prorsus tacuit neque ea, quae dixerat, mutilata depravavit. — Immo facile evinci potest, §§ 120 sq nisi Ctes. 35—48 auditis Demosthenem scribere non potuisse. — Postquam enim § 120 explicuit, publicas coronas etiam in theatro promulgari, non tam eorum gratia, qui coronentur, quam ut, qui eiusmodi praeconia audierint, ipsi quoque de Atheniensium republica bene mereri velint, his pergit: διόπερ τὸν νόμον τοῦτον ἡ πόλις γέγραφεν λέγε δ'αὐτόν μοι τὸν νόμον λαβών. Qui est ὁ νόμος οὗτος? Is videlicet, de quo accusator dixit: verba autem, quae § 121 inde citantur, Dionysiacae esse modo ostendimus. Itaque eam iam in iudicio Aeschines certe attigerat. Idemque articulus declarat supra memoratus, qui in verbis ἀκούεις, Αἰσχίνη, του νόμου λέγοντος σαφῶς κτλ. invenitur[2]). Nempe plane aliter Demosthenes disseruisset si lex Dionysiaca ab Aeschine esset neglecta. Acerbe scilicet atque acriter eum reprehendisset, quod celato legum praescripto reo favente veritati tenebras obduxisset. Ac ne haec quidem verba ἀλλ' οὐδ' αἰσχύνῃ — νόμους μεταποιῶν. τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι τοῖς γε ὀμωμοκόσι κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι ullo modo intellegerentur, si solum ad §§ 32—34 spectarent. Ad maiorem videlicet legum suppellectilem referenda sunt, quippe quae de una lege dicta ridicula sint. — Idem in haec cadit: τί οὖν ὦ ταλαίπωρε συκοφαντεῖς; τί λογους πλάττεις; τί σαυτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις ἐπὶ τούτοις; An simplicissimam, quae §§ 32—34 continetur, disceptationem sic vel a maligno adversario notari potuisse existimas? — Cum denique verba .. οὐ δύνασαι λογίσασθαι, ὅτι τῷ μὲν στεφανουμένῳ τὸν αὐτὸν ἔχει ζῆλον ὁ στέφανος, ὅπου ἂν ἀναρρηθῇ, τοῦ δὲ τῶν στεφανούντων εἵνεκα συμφέροντος ἐν τῷ θεάτρῳ γίγνεται τὸ κήρυγμα: cum iis comparaveris, quae Ctes. § 33 de virtute prioris legis proferuntur, non dubitabis, quin totum, quod aetatem tulit, caput de coronae ἀναρρήσει Aeschines apud

[1]) l. c. p. 63.
[2]) cf. Baerwinkel. p. 64 et 65 extr.

heliastas oraverit. Accedit nimia eius brevitas, quae demptis §§ 35—48 exsistit [1]).

His rebus computatis certum est, §§ 32—48 in causa ab Aeschine dictas esse. Iis autem, quae supra indicavi, additis probabile puto, iam in primo orationis commentario illas quoque infuisse.

Excursio ad caput alterum.

Unam rem eamque gravissimam adhuc consulto omnino praeterii: ipsam iuris quaestionem dico. Quae cum a consilio huius commentatiunculae per se aliena sit, superiore loco eam modo obiter strinxi. Atque etiam hic sine ea iam ad finem nostrum pervenimus. Adhibitis enim argumentis ei non coniunctis demonstravisse mihi videor, in §§ 32—48 primas Aeschinis curas integras cerni. Sed multi vereor ne meis rationibus diffidant, nisi brevitatem atque exilitatem §§ 120 sq. or. de cor. legum condicione explicavero. Ab hoc enim momento profecti Spengelius Halmius Kirchhoffius dubitaverunt, an Ctes. §§ 35—48 post iudicium orationi insertae essent. Atque Spengelius [2]) quidem Demostheni leges contrarias fuisse ratus tamen uberius eum responsurum fuisse existimare videtur, si Aeschinis προκατάληψιν legis Dionysiacae audivisset. Halmius [3]) autem et Kirchhoffius [4]) cum Demostheni fidem habeant, sibi constant, quod tam tenuiter eum apud iudices esse locutum non credunt. Ille igitur ad hoc iudicium pervenit: Da das Plaidoyer über das Dionysische gesetz, inquit, bei Aeschines wenigstens nach unserem Urtheile ein durchaus hohles und bodenloses ist, so gewinnt die schon früher ausgesprochene Vermuthung, dass er diese ganze Partie erst später in seine Rede eingeschoben habe, sehr an Wahrscheinlichkeit. Kirchhoffius vero, quamquam duabus illis

1) cf. Roemheldt. l. c. p. 35

2) l. c. p. 61.

3) p. 15.

4) p. 63.

§§ Aeschineam argumentationem humi prosterni putat, tamen nimiam hanc parsimoniam verborum victorem parum decere arbitrari videtur cum aut Demosthenem aut Aeschinem plane aliter in causa dixisse putet. Itaque ceteris difficultatibus solutis iuris quoque indolem talem fuisse evincendum mihi est, ut probabile sit, plane eadem nec plura aut meliora verba Demosthenem, Aeschinem non pauciora aut peiora apud heliastas fecisse, quam quae hodie legimus.

Sed non mihi in animo est, quaestionem de legibus, quae ad pronuntiandas coronas spectant, late fuseque hoc loco retractare. A plerisque enim viris doctis ea aut obiter stricta aut peculiariter suscepta est. Ex eo numero affero Schaeferum[1] Spengelium Halmium Kirchhoffium, quos iam citavi, Westermannum[2]) Weidnerum[3]) Dissenium[4]) Weilium[5]), imprimis vero Roemheldtium[6]) Baerwinkelium[7]) Foxium[8]), qui unus omnium optime rem absolvisse mihi videtur. — Minime igitur horum omnium omnes rationes percensiturus et expensurus sum, sed ea, quae explorata esse puto, paucis, comprendere satis habebo.

Sic igitur §§ 32—48 Aeschines ratiocinatur: primum disertis verbis lege praecipitur, ut eae coronae, quas senatus decreverit, in curia, eae quas populus, in Pycne promulgentur. Contra Ctesiphon in theatro magnis Dionysiis Demostheni coronam dari et pronuntiari iubet. Itaque palam legibus illudit. — Tamen Demosthene adiuvante defendere se conabitur. Atque illam quidem legem exstare non infitiabitur; at alteram ei opponet, per quam populi et senatus coronas in theatro pronuntiari licere, si sciverit populus.

[1]) l. c. III, 1, p. 214 adn. 2.

[2]) De publ. Ath. hon. p. 52 sqq et in contrariam partem ad. or. de cor. 121.

[3]) in priore edit. Ctes. ad §§ 34. 36, 44, in poster. ad 36 et 45 sqq.

[4]) ad or. de cor. §. 120.

[5]) plaidoyers polit. de Dém., ad or. de cor. 121.

[6]) l. c. cap. V (p. 22—36).

[7]) l. c. cap. III. (p. 41—70).

[8]) l. c. p. 118—133 et adnott. 90—98.

Dionysiacam scilicet legem praetendet eiusque parte abusus vos, iudices, decepturus est. At lege est cautum, ne duae leges de eadem re inter se contrariae sint. Nam in annua legum instauratione, quam thesmothetae factitant, eiusmodi discrepantiae removentur. Itaque ne potest quidem talis lex exstare, quadem Ctesiphon ementitur. — Unde autem eam repetit? Increbruerat nimirum consuetudo, ut varii generis coronae in theatro promulgarentur populi venia non impetrata, a tribubus curiis alienis urbibus donatae. Qui mos, cum ludi sollemnes turbarentur, lege coërcitus est. Praecepit enim legislator ne servi manu missi neve a tribubus curiisve coronati in theatro amplius pronuntiarentur, addidit autem „neve coronati ab alio quoquam.“ Quare cum priore lege senatus et populi in curia et in contione iussum, Dionysiaca tribuum et curiarum coronas in theatro pronuntiari vetitum sit, solae exterae supersunt, ad quas verba „neve ab alio quoquam“ et exceptio iis addita „nisi sciverit populus“ revocentur. Vere autem eas intellegendas esse, inde elucet, quod coronae in ὀρχήστρᾳ datae in Minervae Πολιάδος templo suspenduntur. Quis enim credet, eas, quibus ipse quem ornavit, coronas populum ilico demere? At exteras demit, ne coronati in alienae urbis gratia glorientur. Easdem denique nisi populo permittente non pronuntiandas esse prudenter legislator iussit, ut suis civibus coronati maiorem gratiam, quam peregrinis haberent. Ergo perperam adversarii Dionysiacam legem in suam utilitatem trahunt et constat prior lex, qua in contione aut in curia, alibi nusqam coronam promulgari iubetur.

Hanc argumentationem uberem scitam bene dispositam satis claram esse, Hugius [1]) sine dubio recte iudicavit neque quomodo alii viri docti, velut Halmius, tam contemptim de ea censere possent, intellegeretur, nisi praeiudicatam in Aeschinem diffidentiam, in Demosthenem fidem apud eos plurimum valuisse constaret. — Atque etiam profecto in universum

[1]) Der Entscheidungsprocess zwischen D. u. Ae. (Zürich 1870) p. 14.

leges favisse Aeschini per se probabilissimum est.[1]) Qui enim fieri potuit, ut Aeschines eum morem, qui tum vigebat[2]), legibus repugnare auderet contendere, nisi earum clarissimis decretis niteretur? At quanta populi invidia ei timenda fuit! Quem credisne ipsum παρανομίας se iniuria argui passurum fuisse? — Sed singillatim ea, quae orator profert, collato Demosthenis responso examinemus. — Prior quidem lex haec verba habet: ἐὰν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλή, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνακηρύττεσθαι (sc. αὐτὸν), ἐὰν δὲ ὁ δῆμος, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ. Haec tam perspicua sunt, ut de vi huius legis nulla dubitatio esse possit. — Neque Demosthenes eam extenuare conatur, sed nisi verbis ἀλλ' οὐδ' αἰσχύνῃ — νόμους μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη[3]) ne attingit quidem. — His vero, sive μεταποιῶν sive ἀφαιρῶν μέρη ad eam spectat, refutari eam nemo putabit. Ea scilicet lex, quam uno eoque incertissimo vocabulo absolvit Demosthenes, maxime ei offecisse existimanda est. — Itaque haec certe integra ab Aeschine recitata est atque etiamtum rata fuit. Iam de Dionysiaca lege videamus, per quam Ctesiphonti ut corona in theatro daretur rogare licuisse negat Aeschines, Demosthenes obtinet. Atque illius primum argumentum e legum annua διορθώσει, desumptum debilissimum est, propterea quod ad rerum perfectum atque consummatum simulacrum, non ad veram condicionem aptum est. Nam inter omnes constat, saepius tum leges inter se contrarias de eadem re fuisse.[4]) Quod cum ita sit, verbis φανερῶς δήπου ἐξελέγχονται οὐ μόνον ψευδῆ λέγοντες, ἀλλά καὶ παντελῶς ἀδύνατα γενέσθαι nimis orator superbit, cum praesertim τὸ ψεῦδος iis demum enucleetur, quae sequuntur. Ab hac autem ratiocinatione Aeschines ad enarrandam legis Dionysiacae originem se transfert. Ubi multo confidentius ducem eum sequi licet. Nihil enim hac narratione veri similius. Qui

[1]) Spengel l. c. p. 34 sq.

[2]) cf. quae supra (p. 31.) exposui.

[3]) Hanc lectionem Kirchhoffius p. 63 solum suae opinionis gratia in νόμους μεταποιεῖν ἀφαιρῶν μέρη mutat.

[4]) cf. Baerwinkel. p. 44sq. Weidner. in utraque ed. ad § 40. Fox. p. 120 et 314.

videlicet eius aetatis erat habitus, facile credimus, tum cuiuscumque generis corollas in theatro cum magna iactatione pronuntiari coeptas esse. Summae vero Aeschine auctore illud offensae fuit, quod sine auctoritate populi pronuntiabantur. — In quo numero imprimis alienarum urbium coronae Atheniensibus maxime propter προξενίαν datae infuerunt. Talium igitur ἀναρρήσεων dissoluta licentia Dionysiaca lege constricta est. — Itaque nihil huic cum priore lege, de populi et senatus coronis lata, commune esse Aeschines concludit. Συνιδὼν δή τις ταῦτα νομοθέτης, ait, τίθησι νόμον οὐδὲν ἐπικοινωνοῦντα τῷ περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανουμένων νόμῳ, οὔτε λύσας ἐκεῖνον· οὐδέ γὰρ ἡ ἐκκλησία ἠνοχλεῖτο, ἀλλὰ τὸ θέατρον· οὔτ' ἐναντίον τοῖς πρότερον κειμένοις νόμοις τιθείς· οὐ γὰρ ἔξεστιν· ἀλλὰ περὶ κτλ. — Quod, missis interim rationibus ab Aeschine legislatori tributis, omnino verum esse, ipsa lege Dionysiaca docemur. — Verba eius ab Aeschine allata haec sunt: μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα.

Ab hac lege populi et senatus coronas afuisse ultro nobis persuademus, propterea quod neque diserte commemorantur neque verbis μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς subesse possunt. Nam cui probabitur, maximum coronarum genus a legislatore iis verbis quasi involutum esse? — Sed hoc tam simplex argumentum aspernatus ipse Aeschines artificiosa et arguta conclusione excutere studet, quales coronae his verbis contentae sint. Coniungit scilicet eas leges, quibus nihil commune esse modo exposuerat. Quin in eo aliquid peccaverit non dubium est et ne Foxio[1]) quidem contigit, ut eum purgaret. Immo, si non sophistice, quod putat Halmius[2]), at certe contra logicae normas quasi impares numeros computavisse mihi videtur. Altera enim lege cum coronas a populo et a senatu decretas in Pycne et in curia promulgari iuberetur, non, sicut Dionysiaca, prava quaedam consuetudo sublata, sed proba inducta aut confirmata est. Itaque veti-

---

[1]) p. 316 sqq.
[2]) p. 1 sq.

tum, quod verbis ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ effertur, dumtaxat formulae instar adiectum est, quo iussum acueretur. — Quamobrem legislator de theatro ne cogitavisse quidem videtur, cum haec scriberet. — Accedit, quod, cum ea lex certe satis vetusta ferretur, theatrum coronis etiamtum vacasse veri simile est. Quae cum ita sint, praecepta de senatus et populi coronis, ad tribuum curiarum alienarum urbium coronas pertinentibus praeceptis neque interno, ut ita dicam, neque externo vinculo coniuncta sunt, sed profecto οὐδὲν αὐτοῖς ἐπικοινωνοῦσιν. Nimirum invitis ipsarum verbis et argumentis Aeschines eas leges inter se conexuit. Quod melius quam mea expositione lecta perspicies, cum eas scribendo sic coniunxeris, ut Foxius p. 127 fecit: ἐὰν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλή, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνακηρύττεσθαι, ἐὰν δὲ ὁ δῆμος, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ· μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα, ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος.

Haec inter se nisi vi adhibita conciliari non posse primo obtutu intellegimus. Oleum igitur et operam Aeschines in hac argumentatione perdidit, cum praesertim et consuetudo priori legi contraria et multa exempla legum inter se adversarum ei obici possent. Nam quidni etiam populi et senatus coronas, si interea in theatro promulgari coeperant, Dionysiacae legis rogator respiceret? Itaque haud ita scite Aeschines verba μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενός interpretatus esse mihi videtur. Neque vero infirma illa computatione populi et senatus coronas iis non contineri evincere satis habet, sed magnopere elaborat ut eruat, quae aliae coronae iis significentur, quod scire nihil interest, postquam populi et senatus certe non significari apparuit. Alienarum igitur urbium coronas intellegendas esse affirmat. Hoc per se probabilissimum est, quod in horum pronuntiatione Aeschine auctore imprimis offendebatur[1]). Quamquam eadem de causa miror, non diserte in lege eas commemoratas esse[2]). Sed de iis oratori

[1]) cf. Ctes. § 42.
[2]) cf. Roemheldt. p. 27.

credamus. Porro ratiocinationis obscuritatem quandam, quam Foxius[1]) bene illustrat, ei condonemus. At § 46 summo iure viri docti[2]) vituperaverunt, quod impudenter ibi Aeschines mentitur. Nam coronas in theatro pronuntiatas et Minervae dicatas, nunquam ξενικοὺς στεφάνους fuisse prope certum est. Quod percensitis talium coronarum titulis discimus, quos Demosthenes or. c. Timcr. § 180 (= c. Androt. 72) affert. — Sunt autem hi: οἱ σύμμαχοι τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων ἀνδραγαθίας ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης· — οἱ σύμμαχοι ἀριστεῖον τῇ Ἀθηνᾷ ἀνέθεσαν. — Εὐβοεῖς ἐλευθερωθέντες ἐστεφάνωσαν τὸν δῆμον. — Κόνων ἀπὸ τῆς ναυμαχίας τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους. — Χαβρίας ἀπὸ τῆς ἐν Νάξῳ ναυμαχίας. — Ex his apparet, magnarum rerum monumenta coronas in arce servatas fuisse. Itaque eae, quas § 42 Aeschines describit, suum locum ibi non habebant ac ne tum quidem templum deae iis illatis profanatum esse crediderim. — At Aeschines prope ridiculo argumento usus veritatem ita pervertit, ut minus honestari fingeret eos, quorum coronae in arce suspendebantur, quam qui eas domi servabant. De his certe recte Demosthenes dixit: τί σαὐτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις ἐπὶ τούτοις; — Sed iam Aeschinis argumentationem per se castigare desinamus. Quam quoniam singillatim percensuimus, id, quod in universum supra de ea iudicabamus, quodammodo mutandum est: nam nonnulla in ea infirma pinguia iusto fusiora mendacia sunt, quae Foxius iniuria excusare studet. — Proinde ad principale consilium revertamur. — Vidimus igitur, priorem legem post § 32 allatam sine dubio Ctesiphonti obstare, Dionysiacae legis verba, quae § 44 citantur, non auxiliari. Populi videlicet et senatus coronarum ibi nec vola nec vestigium. Tamen Demosthenes orat. de cor. §§ 120 sq. re vera eam defendit et haec quidem verba inde desumpta citat: πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται· τούτους δ' ἀναγορευέτω (sc. ὁ κῆρυξ). — Itaque perspicitur, in his defensionis cardinem

---

1) 317 sq.

2) cf. Dissen. ad. or. de cor. § 121, Roemheldt p. 27 sq. Perperam de ea iudicat Baerwinkel. p. 56. Etiam Foxius hic Ae. reprehendit p. 121.

verti. Efficiunt autem legis Dionysiacae exceptionem, de qua adhuc nondum diximus. Aeschines enim, postquam ipsam legem citavit, exceptionem omisit ut explicationem verborum μηδ' ὑπ ἄλλου μηδενὸς illius interpretationi quasi praemuniret. Nam cum haec solum ad exteras coronas referenda esse demonstravisset, ne exceptione quidem senatus et populi coronas contineri apparuit. Ex aliis autem locis, ubi eam commemorat (§§ 36, 47, 48) hanc eius formam fuisse patet: ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος vel πλὴν ἐὰν ψηφίσηται ὁ δῆμος. Itaque tota lex Dionysiaca huius modi fuit: μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενός, πλὴν ἐὰν ψηφίσηται ὁ δῆμος· ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα. Sed ne in his quidem verbis quidquam est, quo Demosthenes niti potuerit. Quare exceptionem paululum mutavit: sic enim recitari iussit: . . . πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται et addidit τούτους δὲ ἀναγορευέτω (sc. ὁ κῆρυξ). Hoc artificio illud assecutus est, ut populi et senatus coronas in legem inferret. Ita enim haec verba interpretatus est praeterquam si quos populus aut senatus a se coronatos in theatro pronuntiari decreverit. Recte Roemheldtius [1]) huic interpretationi linguae usum obicit. Nam vocula τινὰς eosdem significari necesse est, de quibus in lege dicitur, i. e. a tribubus curiis alienis urbibus coronatos, non a populo aut senatu. Sed nisi sic exceptione mutata et explicata Demosthenes legem Dionysiacam auxilio vocare prorsus non potuit. [2]) Qua de causa hoc modo exceptionis sensum ab eo detortum esse pro certo habeo. — Recta sane eius interpretatio haec est: praeterquam si quos (sc. a tribubus curiis exteris urbibus coronatos) populus aut senatus sciverit (sc. in theatro pronuntiandos esse). Sed etiam sic explicata verba πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται difficultatem quandam praebent. Neque enim persuadere mihi possum, senatus quoque fuisse permittere, ut coronae

[1]) p. 32.
[2]) cf. Spengel. l. c. p. 60 adn.

Dionysiaca lege comprensae in theatro pronuntiarentur[1]. Sed ut verum sit, cur Aeschines senatum e legis exceptione removit? Timendam senatus mentionem ei non fuisse modo demonstravimus. Quin expediebat plena verba citare, quorum falsam explicationem satis promptam praecaveret. At Demosthenis verba ἢ ἡ βουλὴ in exceptionem inferre plurimum intererat. Itaque hanc parvam fraudem eum commisisse arbitror. Tantum certe declaravisse me spero, neque priorem Aeschinis legem neque Dionysiacam ulla ratione Demostheni favisse. Inde vero intellegitur, quod illustraturus eram, cur ad copiosam et satis subtilem Aeschinis dissertationem tam pauca eaque futtilia Demosthenes responderit. Tamen ibi quoque egregiam eius eloquentiam cerni solito acumine atque tenuitate Foxius p. 129 sq. ostendit. Quod idem p. 126 sqq. evincere conatur, post § 120 Demosthenem priorem legem et Dionysiacam in unam coniunctas recitari iussisse, penitus improbo. Nam si lectis his verbis ἐάν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλή, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνακηρύττεσθαι, ἐὰν δὲ ὁ δῆμος, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ sic scriba perrexisset μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ κτλ., nonne iudices, qui quidem recitandis legibus omnino aures darent, statim ex altera lege in alteram transiri animadvertissent?[2]) Deinde quam stupidos eos fuisse putandum est, qui audita § 120 non mirarentur, quod proba ista lege primum in curia et in contione, non in theatro senatus et populi coronas promulgari iuberetur, tum non senatus et populi coronas, sed alias in theatro vetaretur! Illud iussum et hoc vetitum, quorum neutrum id declarat, quod Demosthenes probaturus est, ecquid formula ista πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται compensantur? Quae cum ita sint, Foxius multo maiorem quam ego audaciam Demostheni tribuere nec melius difficultates, quas eius fiducia imprimisque verba ἀλλ' οὐδ' αἰσχύνῃ . . . . νόμους μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη afferunt, solvere mihi videtur. Equidem ab ipsis Demosthenis verbis cum Aeschinis comparatis, non ab artificio quodam coniectura structo, cuius nullum certum vestigium exstat, proficiscendum esse existimo.

[1]) cf. Spengel. loco p. 44 citato. [2]) cf. quae p. 42 disserui.

Georgius Guttmann de vita sua.

Natus sum Georgius Leopoldus Guttmann a. d. XVI. Kal. Jun. a. h. s. LXI Bythomiae, in oppido Silesiae superioris, patre Julio Guttmann, tum regio iudice, qui ante hos XIIII annos mortuus acerbissimo dolore suos afflixit, matre Augusta Schuhmann, quam vivam ea qua par est pietate prosequor Fidem profiteor evangelicam. Litterarum rudimentis me instruxit ludus litterarius gymnasii evangelici Posnensis, cui tum Julius Sommerbrodt eique succedens Carolus Schaper praeerant. Deinde Vratislaviae gymnasium ad aedem St. Mariae Magdalenae adii, quod etiam nunc Ottonis Heine auspiciis floret. A. h. s. LXXIIII mater me paedagogio Zullichaviens tradidit, cuius alumnus immunis Friderico Hanow et Guilelmo Erler studiorum morumque rectoribus benevolentissimis prope V annos degi et auctumno a. h. s. LXXVIII maturitatis testimonium adeptus sum. Quo parto primum hanc Viadrinam petivi eiusque civis per Ottonem Spiegelberg vir. ill. factus sum. Philosophiae studiosis v. ill. P. I. Elvenich me ascripsit. Ibi postquam per quattuor semestria studiis philologicis incubui, ad Lipsiensem litterarum universitatem me contuli, cuius fasces Ludovicus Lange tenebat. Unde duobus semestribus exactis, ut absolverem studia, Vratislaviam redii. Unum denique annum ibi moratus Grunbergam me recepi et per hanc hiemem ad capiendos summos in philosophia honores me paravi. — Scholas audivi virorum illustrissimorum Bobertagii G. Curtii Diltheyi Ecksteinii Hertzii Kaibelii Langii Lipsii H. Neumann, Overbeckii Reifferscheidii Ribbeckii Rossbachii Strasseri Weinholdii Wundtii Zarnckii. — Seminarii philologici Vratislaviensis per singula semestria sodalis et extraordinarius et ordinarius, Lipsiensis per duo ordinarius fui, illi Hertzio et Reifferscheidio

huic Langio et Ribbeckio moderantibus. — Unus de me Martinus Hertz vir doctissimus et illustrissimus optime meritus est, cum studia mea omni modo adiuvaret. Huius tanti beneficii gratissimam memoriam nunquam me defecturam esse polliceor. Deinde Georgio Kaibel Augusto Reifferscheid Ottoni Ribbeck plurima debeo et hanc gratias agendi iis viris ill. occasionem cupide arripio.

Sentententiae controversae.

I. Aesch. III, 5 sic scribendum esse censeo: „ὁποίους τινὰς αὐτοὺς καὶ ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε εἶναι“. (cf. § 81.)

II. ibid. 45 verba „ἀπούσης βουλῆς καὶ δήμου καὶ φυλετῶν καὶ δημοτῶν“ genuina ac necessaria sunt.

III. ibid. 88 'ante τὸ δυςτυχῆσαι inserendum esse mihi videtur αὐτό.

IV. Dem. XVIIII, 156 ita sanari arbitror, ut „. . . Δόρισκον Θράκην τὴν ἐπὶ τειχῶν, Ἱερὸν ὄρος . . .“ scribatur.

V. [Longin.] de subl. p. 10 v. 17 Jahn. verbum ὕψους eiciendum est.

VI. De Aristophanis avium sententia et consilio unus omnium Voegelinus in libello Turicensi „über des Aristophanes Vögel“ sanissime iudicavit.

VII. Graecorum carminum nuptialium genus quoddam θρήνῳ simile fuisse statuo.

VIII. Catullus carmine LXII Sapphus hymenaeum liberrime tantum expressit.

IX. Athenis ii, qui rogationem tulerant, actione παρανόμων in tempore instituta etiam anno post latam rogationem exacto poenae obnoxii esse pergebant.

X. Ol. CXII, 3 nescio quis idem in senatu Atheniensium rogavit, quod VI annis ante Ctesiphon rogaverat, itaque causa huic ab Aeschine intenta tandem in iudicium venit.